DE SACRIS

TROEZENIORUM, HERMONIENSIUM, EPIDAURIORUM

Scripsit

S A M   W I D E

Upsaliae MDCCCLXXXVIII

Typis descripsit Almqvist & Wiksells A.-B.



PRAEMITTENDA.

Quantum valeat ars, quae in religionibus veterum Graecorum investigandis et perscrutandis versatur, ad antiquitatem illustrandam atque percipiendam, nemo fere est qui ignoret. Neque defuerunt viri doctissimi, qui in hoc studium summam operam et diligentiam contulerunt. Ne alios nominem, Odofr. Müller, praestantissimus ille et sagacissimus antiquitatum Graecarum investigator, de perscrutatione fabularum religionumque Graecarum optime meritus est, ut nemo, qui has res vel levissime tractare velit, libros eius neglegere possit. Ac dolendum est, quod eam viam, quam ingressus est Odofr. Müller, tam pauci secuti sunt.

Cuius rei quae causae fuerint, nolo hoc loco fusius exponere. Satis erit monere Müllerum, ut erat Doricae gentis studiosissimus admirator, alias gentes plus iusto neglexisse. Accedit quod notitia sanscritae linguae et litterarum apud Europaeos pervulgata, multi et docti viri ad similitudinem, quae inter religiones Graecorum et Indorum intercedit vel intercedere creditur, animum magis magisque adverterunt. Simul monumenta Chaldaeorum, Assyriorum, Aegyptiorum explicata viris, qui in arte mythologica versabantur, materiem praebuerunt originem religionum Graecarum ad illos populos referendi. Quibus de causis effectum est, ut de origine fabularum religionumque, et quae cuique deo vel fabulae inesset vis, praecipue quaereretur. Itaque alii originem religionum Graecarum ad hos, alii

ad illos populos referebant; neque minus vim atque naturam singulorum numinum varie interpretabantur, ita ut uni eidemque religioni alii solem, alii lunam, alii aethera, alii varias res coelestes subesse putarent. Quo factum est, ut omnes qui in arte mythologica aliquid proficere sibi videbantur, de origine atque natura numinum Graecorum suam quisque opinionem tuerentur. Ac re vera tanta inde rerum omnium, quae ad artem mythologicam pertinent, perturbatio exorta est, ut nemo fere sciret, quibus quasi fundamentis in illa arte tractanda niteretur [1]). Tempus igitur erit artem mythologicam, ut ita dicam, "e coelo devocare" eamque ita tractare, ut certis finibus circumscribatur, intra quos ad quam maximam veri similitudinem perveniri possit. Omissis igitur quaestionibus, unde venerint dii Graecorum, fuerintne Arii an Assyrii an Aegyptii, sitne natura eorum ad solem an ad lunam an ad res, quae in coelo fiunt, referenda — quaerere oportet, quae cuique civitati vel regioni fuerint religiones, quam similitudinem inter se habeant, quomodo ex alia regione ad aliam translatae sint. Quibus tandem compositis atque collatis, fieri poterit, ut de origine atque natura Graecorum numinum fabularumque certum aliquid enuntietur.

In hoc opusculo conscribendo mihi proposui, ut ea, quae de religionibus ad tres illas civitates Argolidis, Troezenem, Hermionam, Epidaurum pertinentibus cognita sunt, componerem atque, quoad viribus meis liceret, perscrutarer.

Antequam ad propositum meum aggrediar, liceat mihi gratias agere candidissimas praeceptoribus meis, *Roberto* Berolinensi et *Löfstedtio* Upsaliensi, quorum alter, qua est non solum doctrina atque sagacitate, verum etiam benevolentia humanitateque, studia mea adiuvit, alter per totum meum cursum academicum et optimum praeceptorem et studiorum meorum clementissimum existimatorem adiutoremque amicissimum se praestitit..

---

[1]) Cfr Holm, Griechische Geschichte I: 52, 53.

IUPPITER. IUNO.

TROEZENE.

Paus. II: 31, 10. Ἔστι δὲ καὶ Διὸς ἱερὸν ἐπίκλησιν Σωτῆρος· ποιῆσαι δὲ αὐτὸ βασιλεύοντα Ἀέτιον τὸν Ἄνθα λέγουσιν. ὕδωρ δὲ ὀνομάζουσι Χρυσορρόαν· αὐχμοῦ δὲ ἐπὶ ἔτη συμβάντος σφίσιν ἐννέα, ἐν οἷς οὐχ ὗεν ὁ θεός, τὰ μὲν ἄλλα ἀναξηρανθῆναί φασιν ὕδατα, τὸν δὲ Χρυσορρόαν τοῦτον καὶ τότε ὁμοίως διαμεῖναι ῥέοντα.

Paus. II: 34, 6. Ἔστι δὲ ὁδὸς ἐς Ἑρμίονα ἐκ Τροιζῆνος κατὰ τὴν πέτραν, ἣ πρότερον μὲν ἐκαλεῖτο Σθενίου Διὸς βωμός, μετὰ δὲ Θησέα ἀνελόμενον τὰ γνωρίσματα ὀνομάζουσιν οἱ νῦν Θησέως αὐτήν.

HERMIONAE.

Paus. II: 36, 1. 2. Ἔστι δ'οὖν ὁδὸς καὶ ἐς ταύτην τοῦ τε Πρωνὸς μέση καὶ ὄρους ἑτέρου Θόρνακος καλουμένου τὸ ἀρχαῖον· ἀπὸ δὲ τῆς Διὸς ἐς κόκκυγα τὸν ὄρνιθα ἀλλαγῆς λεγομένης ἐνταῦθα γενέσθαι μετονομασθῆναι τὸ ὄρος φασίν. ἱερὰ δὲ καὶ ἐς τόδε ἐπὶ ἄκρων τῶν ὀρῶν, ἐπὶ μὲν τῷ Κοκκυγίῳ Διός, ἐν δὲ τῷ Πρωνί ἐστιν Ἥρας.

Müller Fragm. Hist. Graec. II: 190 s.

Ἀριστοκλῆς δὲ ἱστορεῖ ἐν τῷ περὶ Ἑρμιόνης ἱερῶν ἰδιώτερον περὶ τοῦ Διὸς καὶ τῆς Ἥρας γάμου. Τὸν γὰρ Δία μυθολογεῖ ἐπιβουλεύειν τῇ Ἥρᾳ μιγῆναι, ὅτε αὐτὴν ἴδοι χωρισθεῖσαν ἀπὸ τῶν ἄλλων θεῶν. Βουλόμενος δὲ ἀφανὴς γενέσθαι καὶ μὴ ὀφθῆναι ὑπ' αὐτῆς τὴν ὄψιν μεταβάλλει εἰς κόκκυγα καὶ καθέζεται εἰς ὄρος, ὃ πρῶτον μὲν Θρόναξ (Θόρναξ Hemsterh.) ἐκαλεῖτο, νῦν δὲ Κόκκυξ. Τὸν δὲ Δία χειμῶνα ποιῆσαι δεινὸν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ. Τὴν δὲ Ἥραν πορευομένην μόνην,

ἀφικέσθαι πρὸς τὸ ὄρος καὶ καθίζεσθαι ἐπ' αὐτό, ὅπου νῦν ἐστιν ἱερὸν Ἥρας Τελείας. Τὸν δὲ κόκκυγα ῥιγῶντα καὶ πεφρικότα διὰ τὸν χειμῶνα καταπετασθῆναι καὶ καθεσθῆναι ἐπὶ τὰ γόνατα αὐτῆς. Τὴν δὲ Ἥραν ἰδοῦσαν αὐτὸν οἰκτεῖραι καὶ περιβαλεῖν τῇ ἀμπεχόνῃ. Τὸν δὲ Δία εὐθέως μεταβαλεῖν τὴν ὄψιν καὶ ἐπιλαβέσθαι τῆς Ἥρας. Τῆς δὲ τὴν μῖξιν παραιτουμένης διὰ τὴν μητέρα, αὐτὸν ὑποσχέσθαι γυναῖκα ταύτην ποιήσασθαι. Καὶ παρ' Ἀργείοις οἳ μέγιστα τῶν Ἑλλήνων τιμῶσι τὴν θεόν, τὸ ἄγαλμα τῆς Ἥρας ἐν τῷ ναῷ καθήμενον ἐν θρόνῳ τῇ χειρὶ ἔχει σκῆπτρον καὶ ἐπ' αὐτῷ τῷ σκήπτρῳ κόκκυξ.

Steph. Byz. v. Ἑρμιών ... Ἕρμιον δὲ ἀπὸ τοῦ Δία καὶ τὴν Ἥραν ἐνταῦθα ἀπὸ Κρήτης ἀφικομένους ὁρμισθῆναι καὶ τροπῇ τοῦ ο εἰς ε, ὅθεν καὶ ἱερὸν Ἥρας Παρθένου ἦν ἐν αὐτῇ.

C. I. G. 1198. Ξενότιμος Πολυκλέος Δάματρι Χ[θ]ονίᾳ, Δὶι Ἀ[σκ]λαπιῷ.

EPIDAURI.

Paus II: 25, 10. Βωμοὶ δέ εἰσιν ἐν αὐτῷ Διός τε καὶ Ἥρας· δεῆσαν ὄμβρου σφίσιν ἐνταῦθα θύουσι (in monte Arachnaeo).

Ἐφημερὶς ἀρχαιολογικὴ 1883 p. 31 (12): [Δ]ὶι Φιλίω Πύρριος κατ' ὄναρ.

Ἐφ. ἀρχ. 1883 p. 87 (22): Δὶι Κασίωι Ἑλλανοκράτης Ἡρακλείδου.

Ἐφ. ἀρχ. 1884 p. 24 (65) .... Δὶι Ἀσκληπιῶι.

Examinantibus nobis eos locos, qui ad Iovem in tribus illis oppidis cultum spectant, apparet Iovem inter ceteros deos deasque, qui ibi colebantur, haud ita multum eminere. Neque tamen inde concludi licet cultum eius neglectum fuisse. Nam quamquam et in litteris et in monumentis maximus deus moderatorque summus omnium rerum exstat Iuppiter, tamen constat eum in nonnullis civitatibus neque magnificentia templorum neque splendore feriarum ceteris deis praestitisse. Atque ut mihi liceat exemplo defungi, monere velim apud homines catholicam doctrinam profitentes eandem esse rationem Dei, praesertim

Patris, colendi. Quamquam enim credunt unum esse deum, ad quem omnia tamquam ad originem referenda sint, a quo omnia regantur, tamen saepius fortasse ad homines sanctos, qui vocantur, cultu et veneratione supplices se convertunt.

Animadvertendum est Iovem neque Epidauri neque Hermionae in ipsis oppidis cultum fuisse, quantum quidem ex litteris vel ex monumentis apparet. Ibi in summis montibus colebatur more antiquissimorum hominum, qui hos locos pro sedibus Iovis habebant. Montes igitur in agris Hermionensium Epidauriorumque siti, Thornax et Arachnaeum, in illis civitatibus solae fuisse videntur sedes Iovis. Troezene autem ipso oppido sub nomine Σωτὴρ receptus est Iuppiter. Quod nomen etiam Piraeei Iovi additum invenimus. Num Iuppiter Σωτήρ, qui Troezene colebatur, principio idem fuerit atque Iuppiter, qui eodem cognomine Athenis et Piraeei [1]) cultum et venerationem habebat, in medio relinquendum est, quamvis probabile sit rem se ita habuisse.

Iuppiter Σωτὴρ deus pluvius esse a Troezeniis existimabatur. Eodem munere Iuppiter in monte Arachnaeo, in Attica, Argis, Lebadeae, in insula Coo fungi credebatur [2]).

In montibus, quorum supra mentio facta est, quibus nomen Πρὼν (Θόρναξ) et Ἀραχναῖον erat, Iuppiter una cum Iunone colebatur. Quae coniunctio ea fuisse videtur, ut Iuno Iovi nupta esse fingeretur. Aliis quoque locis Iuno cum Iove eodem modo coniuncta erat, ut in monte Ocha in Euboea prope Carystum [3]) sito, Plataeis [4]), Sami [5]), ad oppidum Cnossum [6]), quibus omnibus locis sollemnia Iovis

---

[1]) C. I. A. III: 325, 326. Paus. I: 1, 3. Strabo IX: 395.

[2]) Vide exempla ap. Preller-Robert Gr. Myth. I: 119.

[3]) Steph. Byz. v. Κάρυστος.

[4]) Paus. IX: 2, 7; 3, 1—4.

[5]) Callim. fr. 223. Varro apud Lact. I: 17, 8.

[6]) Diod. V: 72.

et Iunonis celebrabantur. Eas religiones ad antiquissima tempora referendas esse recte monuit Welcker. Certe fabula illa, quam attulit Aristocles tam ingenua tamque sensibus popularibus accommodata est, ut eam a fabulis doctrinam posteriorum temporum redolentibus facile distinguas. Praeterea animadvertas velim, auctorem Pausaniae in illa fabula narranda Aristoclem fuisse videri, praesertim si Paus. II: 17, 4 cum Paus. II: 36, 1. 2. compares [1]).

Illi fabulae convenienter Iuno in monte Prone culta Τελεία appellabatur. Quod cognomen etiam Megalopoli [2]), Stymphali [3]), Plataeis [4]) Iuno habebat. Eadem vel similis fuisse videtur Iuno Παρθένος, cuius sedem Hermionae fuisse scribit Stephanus Byzantius. Ad eam spectare videtur nomen antiquissimum, quod insulae Samo inditum erat, Παρθενία [5]). Naupliae quoque Iunonem Παρθένον cultam fuisse e Paus. II: 38, 2. cognovimus: καὶ πηγὴ Κάναθος καλουμένη· ἐνταῦθα τὴν Ἥραν φασὶν Ἀργεῖοι κατὰ ἔτος λουμένην παρθένον γίνεσθαι. In comparationem vocari potest Iuno Νυμφευομένη, quae Plataeis sedem habebat [6]).

Cum igitur Argolis religionibus Iunonis floruerit, quae speciem magnae vetustatis prae se ferant, valde mirandum est, quod in civitate Troezeniorum nulla vestigia cultus eius numinis inveniuntur. Quae res mihi videtur quodammodo explicari posse, si considerabimus incolas agri Troezenii Ionicae fuisse nationis et cum Atheniensibus intima societate coniunctos — id quod testantur religiones fabulaeque. Atque in Attica Iuno nullo praecipuo honore floruit. Athenis in ipsa urbe nullum templum Iuno habuisse videtur. Ad viam, quae Athenis ad Phalerum ducebat, templum erat Iunonis, quod postquam incendio maximam partem consumptum est, non restau-

---

[1]) Cfr Kalkmann, Pausanias der Perieget 147.

[2]) Paus. VIII: 31, 9.

[3]) Paus. VIII: 22, 2.

[4]) Paus. IX: 2, 7.

[5]) Schol. Ap. Rh. I: 187, II: 867.

[6]) Paus. IX: 2, 7.

ratum est [1]). Id unum fuisse videtur templum Iunoni in Attica dedicatum, nisi forte adicias τέμενος Iunonis Εἰλειθυίας in Mesogaea, quae vocabatur, situm [2]). Nulla fabula Attica ad Iunonem spectat. Praeterea in Attica non Iuno, sed Dione cum Iove matrimonio coniuncta erat.

Nulla alia res tantum valet ad demonstrandum et quanta adfinitate amicitiaque Troezenii atque Athenienses inter se coniuncti fuerint, et quam parum societatis religionum inter Troezenem ceterasque civitates Argolidis intercesserit — quam ea quae de cultu Iunonis modo adnotata sunt. In illis civitatibus Iuno cultu et veneratione celebrabatur, praecipue Argis, ubi eam deam in maximo honore fuisse, satis constat. At, dicat quispiam, fieri potest, ut Pausanias in religionibus Troezeniorum describendis Iunonem cultumque eius numinis praeterierit. Quae res mihi minime probabilis esse videtur consideranti, quantam operam et diligentiam in rebus Troezeniorum enarrandis ille posuerit.

Ut igitur inter Troezenios Atheniensesque societas quaedam religionum fuisse videtur, ita fabulae ritusque, qui ad Iunonem spectantes reliquae parti Argolidis cum Euboea Boeotiaque communes erant, indicant incolas earum partium temporibus vetustioribus religione inter se aliquo modo coniunctos fuisse. Religionibus enim quae Hermionae, Argis, in insula Euboea, Plataeis, in monte Cithaerone ad Iunonem pertinebant, omnibus una eademque notio subest, nuptiae Iovis et Iunonis. In Boeotiam cultum Iunonis ex Euboea translatum esse, fabulae significare videntur [3]). Sed utrum incolae Argolidis ex Euboea an incolae Euboeae ex Argolide venerationem eius numinis acceperint, in medio relinquamus. Fieri tamen potest, ut similitudo illa religionum Iunonis ad unum eundemque populum referenda sit, qui duas illas partes Graeciae, de quibus hoc loco agimus, vetustioribus temporibus incolu-

---

[1]) Paus. I: 1, 5. X: 35, 2.

[2]) Keil, Philologus XXIII: 619.

[3]) Cfr Preller-Robert Gr. Myth. I: 165 n. 4.

erit. Neque a specie veritatis abhorret sententia E. Curtii, qui censet cultum Iunonis, qui apud Hermionam et apud Carystum celebrabatur, ad Dryopes veteres incolas eorum oppidorum referendum esse [1]).

In luco Aesculapii prope Epidaurum sito lamina eruta est, in qua Iovis Κασίου mentio fit. Ut testatur Strabo [2]), Iuppiter Κάσιος in monte Casio, qui in confinio Aegypti et Arabiae situs erat, templum habuit. Eundem Seleuciae cultum fuisse e nummis ibi signatis apparet. In Graecia Iuppiter Κάσιος non reperitur nisi Corcyrae, ubi Iovem Cassium sedem habuisse narrat Plinius [3]).

Num Zeus Κάσιος, cuius cultus in luco Aesculapii Epidauriorum invenitur, a monte Casio nomen acceperit — id quod Kabbadias censet, qui inscriptionem illam primum edidit, difficile est diiudicatu. Baunack [4]) censet Iovem Κάσιον eundem fuisse, atque Iovem Καθάρσιον, quem colebant Elei [5]). Idem monet Κάσιον idem fuisse atque Κάσσιον, quod cum *Κάθ-σι-ς = Κάθ-αρ-σι-ς cohaerere videtur. Adicere velim a Plinio [6]) Iovem non Casium, sed Cassium appellari.

E titulo Epidaurio cognoscitur Iovem Φίλιον in luco Aesculapii venerationem habuisse. Idem deus Athenis [7]) et Megalopoli [8]) reperitur.

Iuppiter Ἀσκληπιός, cuius cultum Hermionae et Epidauri invenimus, ad Aesculapium potius referendus esse videtur.

---

1) Curtius, Peloponn. II: 463.

2) Str. XVI: 760.

3) Plin. IV: 12, 19.

4) Studien auf dem Gebiete der Griechischen und der Arischen Sprachen I: 1, 88.

5) Paus. V: 14, 8.

6) l. c.

7) C. I. A. III: 285.

8) Paus. VII: 31, 4.

NEPTUNUS.

TROEZENE.

Paus. II: 30, 6. Καὶ διὰ τοῦτο Ἀθηνᾶν τε σέβουσι Πολιάδα καὶ Σθενιάδα ὀνομάζοντες τὴν αὐτήν, καὶ Ποσειδῶνα Βασιλέα ἐπίκλησιν.

Paus. II: 32, 8. Ἔστι δὲ ἔξω τείχους καὶ Ποσειδῶνος ἱερὸν Φυταλμίου. μηνίσαντα γάρ σφισι τὸν Ποσειδῶνα ποιεῖν φασιν ἄκαρπον τὴν χώραν, ἅλμης ἐς τὰ σπέρματα καὶ τῶν φυτῶν τὰς ῥίζας καθικνουμένης, ἐς ὃ θυσίαις τε εἴξας καὶ εὐχαῖς οὐκέτι ἅλμην ἀνῆκεν ἐς τὴν γῆν (inter Troezenem et Hermionam).

Paus. II: 33, 1. Κομίζουσα Αἴθρα χοὰς διέβαινεν ἐς τὴν νῆσον, διαβάσῃ δὲ ἐνταῦθα λέγεται Ποσειδῶνα μιχθῆναι (in insula Hiera).

Paus. II: 33, 3. Ἔστι δ' οὖν Ποσειδῶνος ἱερὸν ἐνταῦθα ἅγιον, ἱερᾶται δὲ αὐτῷ παρθένος, ἔστ' ἂν ἐς ὥραν προέλθῃ γάμου (in insula Calauria).

Strabo VIII: 373. Τροιζὴν δὲ ἱερά ἐστι Ποσειδῶνος, ἀφ' οὗ καὶ Ποσειδωνία ποτὲ ἐλέγετο.

Nummi: iam inde ab antiquissimis temporibus in reversa parte: Tridens.
c:a 300—c:a 240: Caput Neptuni. (Head, Hist. Nummorum: Troezene.)

Cfr Plut. Thes. 6.

HERMIONAE.

Paus. II: 34, 10. Ἐνταῦθα ἡ προτέρα πόλις τοῖς Ἑρμιονεῦσιν ἦν. ἔστι δέ σφισι καὶ νῦν ἔτι ἱερὰ αὐτόθι, Ποσειδῶνος μὲν ἐπὶ τῆς ἀκτῆς τῇ ἀρχῇ κτλ.

Paus. II: 35, 1. Καὶ Ἀρτέμιδος ἐπίκλησιν Ἰφιγενείας ἐστὶν ἱερόν, καὶ Ποσειδῶνος χαλκοῦς τὸν ἕτερον πόδα ἔχων ἐπὶ δελφῖνος.

Paus. II: 36, 3. Χωρίον δὲ ἕτερον, ὃ Διδύμους ὀνομάζουσι, στάδια εἴκοσιν αὐτόθεν ἀφέστηκεν. ἐνταῦθά ἐστι μὲν ἱερὸν

Ἀπόλλωνος, ἔστι δὲ Ποσειδῶνος, ἐπὶ δὲ αὐτοῖς Δήμητρος· ἀγάλματα δὲ ὀρθὰ λίθου λευκοῦ.

C. I. G. 1223. Αὐρ. Χαρίξενον Χαριξένου τοῦ Κελάδου υἱόν, ἱερέα θεοῦ Ποσειδῶνος καὶ πατέρα τῆς πόλεως κτλ.

Nummi: Neptunus stans delphinum pede premens (Imhoof-Blumer, Gardner Numismatic Commentary of Pausanias: Hermione.)

EPIDAURI.

Nummi: Neptunus nudus ad laevam versus, dextra manu delphinum, laeva tridentem tenens (Imhoof-Blum., Gardner Num. Comm. of Paus.: Epid.).

Neptunus inter deos deasque Troezeniorum primum locum obtinebat. Quod testantur non solum scriptores, sed etiam nummi fabulaeque Troezeniorum. Atque etiam ex nominibus locorum concludi licet, quanta religione cultus eius numinis mentes Troezeniorum imbuerit. Ne alia adferam, flumen Taurius ad Neptunum pertinere videtur, neque aliter locus, qui Γενέθλιον vocabatur, cum cultu Neptuni cohaerere videtur. Qua de re infra disseram.

In rebus Troezeniorum enarrandis Pausanias Neptunum Φυτάλμιον commemorat. Quem deum Erythris [1]), Athenis [2]), Rhodi [3]) cultum fuisse ex titulis cognovimus.

Is deus ut auctor est Pausanias extra muros oppidi Troezenis templum habuit. Qua re commotus Welcker [4]) locis Pausaniae II: 30, 6 et II: 32, 8 cum Plut. Thes. 6 collatis adfirmat Neptunum Φυτάλμιον eundem fuisse atque Neptunum Βασιλέα vel Πολιοῦχον. Quod equidem ei adsentiri nno possum. Πολιοῦχος (πολιεύς, πολιάς) cognominatur deus oppidi cuiusvis praeses, in cuius tutela civitas esse credebatur. At quaeritur, num qui deus Πολιοῦχος cogitari possit, qui extra muros sedem habuerit. Certe omnia numina tutelaria, quorum quidem templa cognorimus, intra muros,

---

[1]) Revue Archéol. 1877: 107 ss.

[2]) C. I. A. III: 269.

[3]) Bull. de Corr. Hell. 1878: 615.

[4]) Welcker Griech. Götterlehre II: 684.

saepissime in arce colebantur. Iuppiter Πολιεὺς Athenis in arce colebatur, itemque Minerva Πολιὰς vel Πολιοῦχος Athenis, Lacedaemone, Megalopoli, Troiae, Pergami in arcibus templa habebat. Quod quidem minime mirandum esse videbitur, si reputaveris, quaenam fuerint primordia oppidorum veterum. In summo monte vel colle, ad cuius radices homines dispersi habitabant, sedes deorum tutelarium instruebantur, quae ut ab hostibus tutae essent, muris circumdabantur.

Qua re perspecta haud verisimile esse videtur, Neptunum Πολιοῦχον ad Troezenem extra oppidum templum habuisse. Neque quisquam scriptor antiquus testatur rem se ita habuisse. Pausanias nihil dicit nisi Neptuni Φυταλμίου Troezene templum fuisse. Plutarchus autem testatur Troezeniis fuisse Neptunum deum tutelarem (Πολιοῦχον), cui primitias frugum libarent, cuius signum, tridentem, nummi haberent notam. Nihil igitur obstat, quominus putemus, Neptunum Φυτάλμιον et Neptunum Πολιοῦχον diversa fuisse numina, quorum alter extra urbem, alter intra moenia, fortasse in ipsa arce templum haberet. Quae cum ita sint, facile inducimur, ut Neptunum Πολιοῦχον eundem fuisse atque Neptunum Βασιλέα statuamus, quae cognomina propinquam significationem habere nemo facile negaverit. Atque animadvertas velim Pausaniam[1]) certamine Minervae et Neptuni commemorato Minervam Πολιάδα vel Σθενιάδα, quam in arce templum habuisse constat, cum Neptuno Βασιλεῖ componere. Quo loco quae de cultu horum numinum adferuntur, eo consilio scripta esse videntur, ut fabula de certamine Minervae et Neptuni arbitrioque Iovis, quo ita discessum est, ut terram Troezeniam communiter possiderent, rerum testimoniis confirmaretur. Quod si conceditur, existimare oportet communi possessioni etiam societatem quandam religionum respondisse. Quae societas nullo modo melius effici videtur, quam si statuimus utrumque numen in arce cultum fuisse. Cui rei conveniunt ea,

---

[1]) Paus. II: 30, 6.

quae Plutarchus[1]) de Neptuno Πολιούχῳ scripsit, quem deum in arce habitasse iam supra monui.

Huic opinioni aliunde subsidium arcessere possum. Constat fabulam, quae de certamine Minervae et Neptuni est, nisi Troezene et Athenis nusquam inveniri. Atqui Athenis in arce colebatur Neptunus, quamvis victus, ut fabula ferebat. Neque aliter rem se Troezene habuisse pro certo adfirmari potest. An putamus, Troezenios, incolas oppidi Neptuno sacri, unde coloniae auspiciis Neptuni deducebantur, ubi illud numen fabulis celebrabatur, in cuius nummis signum Neptuni, quamdiu libera civitas erat, incudebatur, extra muros deum tutelarem coluisse?

Atque haec quidem hactenus. Sed antequam ad alias res commemorandas transeamus, liceat mihi de Neptuno Troezeniorum pauca addere. Iam supra Neptuni Φυταλμίου, Βασιλέως, Πολιούχου mentionem feci, quae numina a scriptoribus antiquis commemorantur. Quamquam nullus alius cultus Neptuni a Troezeniis celebratus litteris mandatus est, fieri potest ut verba a Pausania[2]) allata re vera ad cultum Neptuni referenda sint: καταβαίνουσι δὲ ἐπὶ τὸν πρὸς τῇ Κελενδέρει καλουμένῃ λιμένα χωρίον ἐστὶν ὃ Γενέθλιον ὀνομάζουσι τεχθῆναι Θησέα ἐνταῦθα λέγοντες. Ea verba primum quidem aspicientibus nullam suspicionem praebent, hoc loco de Neptuno agi, neque tamen a specie veritatis abhorret locum, qui Γενέθλιον vocabatur, nomen suum a cultu Neptuni accepisse. Cui opinioni non obstat, quod aetate Pausaniae vel auctoris eius nomen Γενέθλιον ad Theseum referebatur. Nam eodem modo saxum, quod antea ara Iovis Σθενίου appellatum erat, postea mutato nomine fabulae Theseae applicatum esse docet Pausanias[2]). Ad opinionem meam confirmandam monere velim prope Lernam, cui oppido multae religiones cum oppidis in ea parte Argolidis, quae Ἀκτὴ vocabatur, sitis (praesertim Troezene Hermionaque) communes erant, Neptunum Γενέσιον tem-

[1]) Plut. Thes. 6.

[2]) Paus. II: 32, 9.

plum habuisse in loco, cui nomen Γενέσιον erat [1]). Aliud exemplum cultus Neptuni Γενεθλίου adferre possum et ipsum e regione sumptum, quae cum ea parte Argolidis, de qua hoc loco agitur, antiquam societatem religionum habuisse videtur. Lacedaemone enim Neptunus Γενέθλιος templum habuit, ut tradit Pausanias [2]). Haec considerantibus haud absonum esse videtur suspicari Troezenium illum locum, qui Γενέθλιον vocabatur, cum cultu Neptuni Γενεθλίου quodammodo cohaerere. Accedit quod is locus ad mare situs erat, Neptunumque ad mare praecipue cultum fuisse inter omnes constat.

Inter deos Troezeniorum Neptunus Γεραίστιος numerandus esse mihi videtur. Quamquam enim neque apud scriptores neque in monumentis Troezenii eum coluisse narrantur, tamen concludere licet eum apud Troezenios cultum et venerationem habuisse. E titulo Troezenio [3]) cognovimus tribum Troezeniam Γεραιστίαν appellatam esse. Quod nomen ad Neptunum Γεραίστιον referendum esse videtur. In comparationem vocari potest mensis, qui Γεραίστιος vocabatur, quique etiam Lacedaemone, Calymnae, Coi invenitur [4]). Sacra Neptuni Γεραιστίου Troezeniis cum incolis Geraesti, oppidi in Euboea siti, communia fuisse videntur. Ibi Neptunus templum habuit et in honorem eius feriae Γεραίστια appellatae celebrabantur [5]). Geraestus filius Neptuni esse putabatur [6]).

In prisca urbe Hermionensium Neptunus templum habuit, ut auctor est Pausanias [7]). In nova urbe prope tem-

---

[1]) Paus. II: 38, 4. Welckero (Gr. Götterl. II: 684, 78) adsentiri non possum profitenti verbum γενέσιος aliam significationem habere quam γενέθλιος.

[2]) Paus. III: 15, 10,

[3]) Bull. de Corr. Hell. 1886: 136: . . . ἔδοξε τοῖς πατριώταις τᾶς Γεραιστίας κτλ.

[4]) Bischoff, de fastis gr. ant. 379, 381, 366.

[5]) Schol. Pind. Ol. 13, 159.

[6]) Steph. Byz. v. Γέραιστος.

[7]) Paus. II: 34, 10.

plum Dianae Ἰφιγενείας statuam fuisse Neptuni altero pede delphinum prementis scribit Pausanias [1]). Ea numina raro coniuncta invenimus. Quantum equidem scio, nullo alio loco nisi Corinthi [2]), Lacedaemone [3]), Hermionae Neptunus et Diana consociati erant.

In monte Didymis, qui mons utrum ad Troezenem an Hermionam pertinuerit, non satis constat, Apollini, Neptuno, Cereri templa exstructa erant. Cultum Cereris cum sacris Hermionensium componere in promptu est. At tamen videndum est, ne dii in illo monte culti ad Troezenem potius referendi sint. Iuxta templum Neptuni Φυταλμίου, quod extra muros oppidi Troezenis exstructum erat, fuit templum Cereris Θεσμοφόρου. Auspiciis Neptuni et Apollinis colonia Troezeniorum Halicarnassum deducta est [4]). In monte Triopio prope Halicarnassum Neptunus una cum Apolline et Cerere colebatur [5]). Videmus igitur sacra quae in monte Didymis celebrabantur cum sacris Troezeniorum aptissime componenda esse.

Epidauri nullum cultum Neptuni a scriptoribus antiquis commemoratum invenimus. Sed nummus Epidaurius, Caracalla imperatore signatus, signum eius numinis habet. Stat Neptunus nudus ad laevam versus, dextra manu delphinum, laeva tridentem tenet. Animadverterunt Imhoof-Blumer et Gardner, qui eius nummi fecerunt mentionem, illud signum Neptuni eis simillimum esse, quae in nummis Corinthiacis inveniuntur. Quam quidem imaginem Neptuni ad exemplar statuae colosseae, quae ad portum Cenchreas posita erat, factam esse satis constat.

---

[1]) Paus. II: 35, 1.

[2]) Paus. II: 3, 5. Ἐν ἀριστερᾷ δὲ τῆς ἐσόδου Ποσειδῶν καὶ μετ᾽ αὐτὸν Ἄρτεμις θηρεύουσα ἕστηκε.

[3]) Paus. III: 14, 2. Θεῶν δὲ ἱερὰ Ποσειδῶνός ἐστιν Ἱπποκουρίου καὶ Ἀρτέμιδος Αἰγιναίας.

[4]) C. I. G. 2655.

[5]) Schol. Theocr. 17, 69. Cfr Müller Dorier, I: 262, 400.

MINERVA.

TROEZENE.

Paus. II: 30, 6. Καὶ διὰ τοῦτο Ἀθηνᾶν τε σέβουσι Πολιάδα καὶ Σθενιάδα ὀνομάζοντες τὴν αὐτήν.

Paus. II: 32, 5. Ἐν δὲ τῇ ἀκροπόλει τῆς Σθενιάδος καλουμένης ναός ἐστιν Ἀθηνᾶς. αὐτὸ δὲ εἰργάσατο θεοῦ τὸ ξόανον Κάλλων Αἰγινήτης.

Paus. II: 33, 1. Ἱδρύσατο μὲν διὰ τοῦτο Αἴθρα ναὸν ἐνταῦθα Ἀθηνᾶς Ἀπατουρίας, καὶ Ἱερὰν ἀντὶ Σφαιρίας ὠνόμασε τὴν νῆσον· κατεστήσατο δὲ καὶ ταῖς Τροιζηνίων παρθένοις ἀνατιθέναι πρὸ γάμου τὴν ζώνην τῇ Ἀθηνᾷ τῇ Ἀπατουρίᾳ. (In insula Hiera.)

Nummi: ante 431, c:a 400—240: caput Minervae (Head Hist. Nummorum: Troezene).

HERMIONAE.

Paus. II: 34, 8. Ἐν Βουπόρθμῳ δὲ πεποίηται μὲν ἱερὸν Δήμητρος καὶ τῆς παιδός, πεποίηται δὲ Ἀθηνᾶς· ἐπίκλησις δέ ἐστι τῇ θεῷ Προμαχόρμα. (in Buporthmo).

Paus. II: 34, 10. Ἐνταῦθα ἡ προτέρα πόλις τοῖς Ἑρμιονεῦσιν ἦν. ἔστι δέ σφισι καὶ νῦν ἔτι ἱερὰ αὐτόθι, Ποσειδῶνος μὲν ἐπὶ τῆς ἀκτῆς τῇ ἀρχῇ, προελθοῦσι δὲ ἀπὸ θαλάσσης ἐς τὰ μετέωρα ναὸς Ἀθηνᾶς, παρὰ δὲ αὐτῷ σταδίου θεμέλια· ἐν δὲ αὐτῷ τοὺς Τυνδάρεω παῖδας ἀγωνίσασθαι λέγουσιν. ἔστι δὲ καὶ ἕτερον οὐ μέγα τῆς Ἀθηνᾶς ἱερόν, ὁ δὲ ὄροφος κατερρύηκεν αὐτῷ.

Paus. II: 35, 8. Καὶ ἀγάλματα οὐκ ἄγαν ἀρχαῖα, Ἀθηνᾶ καὶ Δημήτηρ.

EPIDAURI.

Paus. II: 29, 1. Τὴν δὲ Ἀθηνᾶν ἐν τῇ ἀκροπόλει, ξόανον θέας ἄξιον, Κισσαίαν ἐπονομάζουσιν.

Ἐφ. ἀρχ. 1884 p. 28 (72) Ἀθηνᾶς [Κα]λλιέργου Ἀπολλώνιος Δωρᾶ πυροφορήσας τὸ ΙΡ ἔτος.

Ἐφ. ἀρχ. 1885 p. 195 (97).

Ἀγαθῇ τύχῃ.
Ἀθηνᾶι Πολιάδι
ὁ ἱερεὺς τοῦ Σωτῆρος
Ἀσκληπιοῦ Δαδοῦχος
κατ' ὄναρ.

Quanta fuerit inter Athenienses Troezeniosque religionum societas, e sacris Minervae, quae iis communia erant, facile cognosci potest. Quorum sacrorum eadem ratio Troezeniis atque Atheniensibus fuisse videtur. In utraque urbe Minerva dea tutelaris (Πολιάς) erat, in utraque urbe fabula de certamine Minervae et Neptuni celebrabatur. Neque usquam praeter has duas urbes illa fabula nobis occurrit. Accedit quod in agro Troezenio Minerva Ἀπατουρία colebatur, quae dea eadem fuisse videtur atque Minerva Φρατρία, quae in Attica dea tutelaris gentium erat [1]). Praeterea animadvertas velim cognomen illud Ἀπατουρία indicare incolas agri Troezenii Ionicae nationis fuisse. Quod cognomen cum feriis Apaturiis componendum esse quis negat? Atqui illae feriae omnibus ionicis civitatibus (duabus exceptis) communes erant [2]).

Etiam ab Hermionensibus Minerva summa religione culta fuisse videtur. Quod quidem praecipue in prisca urbe Hermionensium factum esse docet Pausanias [3]). Ibi huic numini duo templa exstructa fuisse ex eodem scriptore cognovimus. In nova autem urbe Hermionensium nullum Minervae templum fuisse videtur. At tamen ante templum Cereris Χθονίας Pausanias commemorat duo signa fuisse, alterum Minervae, alterum Cereris. Eo igitur loco duo illa numina coniuncta erant, id quod in Buporthmo quoque invenimus. Si Pausaniae fides habenda est, suspicari licet posterioribus temporibus sacra Minervae et Neptuni, cum antea in magno honore

---

1) Cfr Welcker Gr. Götterl. II: 310.

2) Herod. I: 147.

3) Paus. II: 34, 10.

fuissent, pristinam religionem amisisse et sacris Cereris cessisse. Quod ita non fuisse ut credam adducor Bursiano praecipue auctore. Is enim monuit in monte, qui Pron appellabatur, quique arcis instar erat, cum alia templa magnae religionis atque sanctimoniae tum templum Cereris Χθονίας fuisse, cuius deae sacra priscae vetustati adsignanda esse videntur, quoniam explicare non possumus, quomodo posterioribus temporibus eius deae cultus Hermionam importatus sit. Quare non possum Bursiano [1]) non adsentiri suspicanti veterem urbem Hermionensium a monte, cui nomen erat Proni, usque ad oram maritimam pertinuisse atque postea, numero civium deminuto, eam partem, quae mari adiacebat, ab incolis relictam esse.

In prisca illa urbe Hermionensium, ut verbis Pausaniae utar, iuxta templum Minervae fundamenta erant stadii, in quo filii Tyndarei se exercuisse dicebantur. Videmus igitur hanc deam ab Hermionensibus cum Dioscuris religione iunctam fuisse. Quae societas raro occurrit. In Argolide cultus Dioscurorum multis locis floruisse videtur, neque tamen si ab Hermiona discesseris usquam Minerva cum iis componitur. Sed in fabulis religionibusque Laconicis Minerva cum Dioscuris consociata esse reperitur. Lacedaemone Iuppiter Ἀμβούλιος, Minerva Ἀμβουλία Dioscurique Ἀμβούλιοι communem aram habebant [2]). Fabulis, quae in eadem urbe de exstructione templi Minervae [3]) Πολιούχου vel Χαλκιοίκου circumferebantur, nomina Dioscurorum inserta esse videmus. Cuius templi aedificationem Tyndareus exorsus esse dicebatur, quo mortuo opus persecutos esse filios eius, deinde Lacedaemonios ad fastigium perduxisse. In templo perfecto aere expressa erant facta Dioscurorum cum alia multa tum raptus filiarum Leucippi.

In oppido Lacedaemoniorum, cui nomen erat Las, templum Minervae Ἀσίας a Castore et Polluce exstructum esse ferebatur [4]). His exemplis e Laconia sumptis aliud ad-

[1]) Bursian Geogr. von Griechenl. II: 96.

[2]) Paus. III: 13, 6.

[3]) Paus. III: 17, 2.

[4]) Paus. III: 24, 7.

icere possem, si constaret tria illa signa pilleata ex aere facta, quae Brasiis iuxta simulacrum Minervae erant, Dioscuros fuisse [1]). Sed cum Pausanias dubitet, utrum ea signa nomine Dioscurorum an Corybantium nuncupanda sint, hic locus haud ita multum valet ad id quod iam demonstravi confirmandum.

Sed haec quidem hactenus. Ea exempla quae adduxi satis demonstrant in Laconicis, ut in Hermionicis religionibus, inter Minervam atque Dioscuros societatem quandam intercessisse.

Epidauri Minerva Κισσαία cognominata in arce colebatur. Cui vocabulo qui insit sensus, non satis constat. Verisimile sane est cognomen illud a verbo κισσὸς derivatum esse, sed cur Minerva Epidauriorum ita appellata fuerit, nondum liquet. Quae cum ita sint, sufficiat mihi adnotare eodem vel simili modo cognominatos esse Apollinem et Bacchum. Bacchus Κισσὸς Acharnis in pago Atheniensium colebatur, ut tradit Pausanias, qui simul Minervae Ἱππίας et Ὑγιείας [2]) mentionem facit, unde colligere licet Minervam cum Baccho societatem quandam habuisse. Aliud exemplum ex eodem Pausaniae libro sumptum docet Athenis in ipsa urbe sacra Minervae religiones Bacchi attigisse. Signo enim Minervae Ὑγιείας commemorato pergit Pausanias: [3]) Ἔστι δὲ λίθος οὐ μέγας, ἀλλ' ὅσον καθίζεσθαι μικρὸν ἄνδρα· ἐπὶ τούτῳ λέγουσιν, ἡνίκα Διόνυσος ἦλθεν ἐς τὴν γῆν, ἀναπαύσασθαι τὸν Σιληνόν.

Videmus igitur in Attica Bacchum cum Minerva (Ὑγιείᾳ) societatem quandam habuisse. Etiam aliis locis Minerva cum Baccho religione iungitur. Olympiae Minervae Ναρκαίᾳ a Narcaeo, filio Bacchi, templum dedicatum esse ferebatur. [4]). Narcaeus eiusque mater sacra Bacchi instituisse traduntur. In vasis pictis Minerva inter comites

---

[1]) Paus. III: 24, 5.
[2]) Paus. I: 31, 6.
[3]) Paus. I: 23, 5.
[4]) Paus. V: 16, 7.

Bacchi aspicitur [1]). Fieri potest, ut Epidauri quoque sacra Minervae cum sacris Bacchi quodammodo coniuncta fuerint, ita ut Minerva inde Κισσαία appellata sit.

In ruderibus Aesculapii Epidauriorum inscriptio inventa est Minervae Πολιάδι dedicata. Quae inscriptio docet Minervam ita appellatam Epidauri cultum habuisse. Hanc deam eandem fuisse quam Minervam Κισσαίαν, quae Epidauri in arce colebatur, verisimillimum est. Certe in arce colebatur Minerva Πολιάς. Neque igitur non mirari possum, quod titulus ei numini dedicatus in loco inventus est, qui ab arce, sede Minervae Πολιάδος, remotus est.

In luco Aesculapii alia lamina inventa est inscriptionem Minervae Καλλιέργῳ dedicatam continens. Id numen, quantum equidem scio, nullo alio loco reperitur. Cognominis illius similitudinem quandam habent alia cognomina eiusdem deae, qualia sunt Ἐργάνη, sub quo nomine Lacedaemone, Olympiae, Thespiis, Sami, Deli colebatur Minerva, et Πηνῖτις. [2])

APOLLO.

TROEZENE.

Paus. II: 31, 6. Τὸ δὲ ἱερὸν τοῦ Ἀπόλλωνος τοῦ Θεαρίου κατασκευάσαι μὲν Πιτθέα ἔφασαν, ἔστι δὲ ὧν οἶδα παλαιότατον.

Paus. II: 32, 2. Τούτου δὲ ἐντὸς τοῦ περιβόλου ναός ἐστιν Ἀπόλλωνος Ἐπιβατηρίου, Διομήδους ἀνάθημα ἐκφυγόντος τὸν χειμῶνα, ὃς τοῖς Ἕλλησιν ἐπεγένετο ἀπὸ Ἰλίου κομιζομένοις· καὶ τὸν ἀγῶνα τῶν Πυθίων Διομήδην πρῶτον θεῖναί φασιν τῷ Ἀπόλλωνι.

Nummi: ca. 400—322 in obversa parte: caput Apollinis. (Head, Hist. Nummorum, Troezen.)

Paus. II: 34, 6. Κατὰ ταύτην οὖν τὴν πέτραν ἰοῦσιν ὀρεινὴν ὁδόν ἔστι μὲν Ἀπόλλωνος ἐπίκλησιν Πλατανιστίου ναός, κτλ.

---

[1]) Gerhard, Auserlesene Vasenbilder, I: p. 138, 212.

[2]) Vide exempla, quae collegit Robert Preller-Robert Griech. Myth. I: 221 n. 3.

HERMIONAE.

Paus. II: 35, 2. Ἀπόλλωνος δέ εἰσι ναοὶ τρεῖς καὶ ἀγάλματα τρία· καὶ τῷ μὲν οὐκ ἔστιν ἐπίκλησις, τὸν δὲ Πυθαέα ὀνομάζουσι, καὶ Ὅριον τὸν τρίτον. τὸ μὲν δὴ τοῦ Πυθαέως ὄνομα μεμαθήκασι παρὰ Ἀργείων.

Paus. II: 36, 2. Καὶ τοῦ τε Κοκκυγίου πρὸς τοῖς πέρασι ναός ἐστι, θύραι δὲ οὐκ ἐφεστήκασιν, οὐδὲ ὄροφον εἶχεν, οὐδέ οἵ τι ἐνῆν ἄγαλμα· εἶναι δὲ ἐλέγετο ὁ ναὸς Ἀπόλλωνος (ad montem Coccygium).

Paus. II: 36, 3. Ἐνταῦθα ἔστι μὲν ἱερὸν Ἀπόλλωνος, ἔστι δὲ Ποσειδῶνος, ἐπὶ δὲ αὐτοῖς Δήμητρος.

EPIDAURI.

Paus. II: 26, 2. Ἐπιδαύριοι δὲ Ἀπόλλωνι Ἐπίδαυρον παῖδα προσποιοῦσιν.

Paus. II: 27, 6. Ἐποίησε δὲ (Ἀντωνῖνος) καὶ Ὑγιείᾳ ναὸν καὶ Ἀσκληπιῷ καὶ Ἀπόλλωνι ἐπίκλησιν Αἰγυπτίοις.

Paus. II: 27, 7. Ὄρη δέ ἐστιν ὑπὲρ τὸ ἄλσος τό τε Τίτθιον καὶ ἕτερον ὀνομαζόμενον Κυνόρτιον, Μαλεάτου δὲ Ἀπόλλωνος ἱερὸν ἐν αὐτῷ. τοῦτο μὲν δὴ τῶν ἀρχαίων (in monte Cynortio).

C. I. G. 1173. Ἀρτέμιδος Ἀπόλλωνος Στατείλιος ἱεραπολήσας (in monte Cynortio).

Ἐφ. ἀρχ. 1883 p. 31 (13) Ἀπόλλωνι Ἀσκλαπιῶ Κλαυδιανός.

Ἐφ. ἀρχ. 1883 p. 89 (25) Τὰ γυμνάσια τὰ ἐν Ἐπιδαύρωι [κ]αὶ οἱ συμπολιτεύοντες Ἰσίωνα Ἀπολλωνίου Ἐπιδαύριον γυμνασιαρχήσαντα ἐν Λυκείωι ἀρετᾶς ἕνεκεν καὶ εὐεργεσίας τᾶς εἰς αὐτούς.

Ἐφ. ἀρχ. 1883 p. 91 (32) Ἁ πόλις ἁ τῶν Ἐπιδαυρίων Πολυκράτη Εὐάνθεος Ἐπιδαύριον ἄνδρα φιλόπατριν ἀγωνοθετήσαντα ὅτι ἀγαθῶς Ἀπολλωνεῖα καὶ Ἀσκλαπιεῖα [καὶ] Καισαρῆα ἀρετᾶς ἕνεκα.

Ἐφ. ἀρχ. 1883 p. 147 (37) Ἀπόλλωνι Ἑκαβελέτηι ὁ ἱεροφάντης Διογένης κατ' ὄναρ.

Ἐφ. ἀρχ. 1883 p. 149 (41) Ἀπόλλωνι Μαλεάτα Σωτῆρι ὁ ἱερεὺς Διογένης.

Ἐφ. ἀρχ. 1883 p. 197 (59) Θεός. Τύχα [ἀγ]αθά. [Ἰά]ματα τοῦ Ἀπόλλωνος καὶ τοῦ Ἀσκλαπιοῦ.

Ἐφ. ἀρχ. 1883 p. 237 (61) Ἀγαθὴ [τύχη]. Τιβ. ΚΛ. Σευῆρος Σινωπεὺς Ἀπόλλωνι Μαλεάτα καὶ Σωτῆρι Ἀσκλαπιῷ κατ' ὄναρ κτλ.

Ἐφ. ἀρχ. 1884 p. 23 (64) Ἀπόλλω[νι Ὑ]παταίω Παυσάντας καὶ Κωμάσιος.

Ἐφ. ἀρχ. 1884 p. 26 (67) Ἀπόλλωνι καὶ Ἀσκληπιῶι Συγγνώμοσιν ὁ ἱερεὺς Ἑλίκων τὸ ΡΗΓ.

Nummi: Apollo Citharoedus,
Caput Apollinis laureatum.
(Imh.-Blum. Gardn. Num. Comm. of Paus.: Epidaur.).

Apollinem Πύθιον (Πυθαέα) Hermionae cultum fuisse docet Pausanias. Eius dei cultus paene per totam Graeciam pervagatus erat. Non est cur dubitemus, quin sacra eius secum tulerint Dores. Licet igitur nobis ex hac quoque re cognoscere, quam exiguum commercium sacrorum Troezeniis cum civitatibus doricis fuerit. In plerisque civitatibus Argolidis colebatur Apollo Πυθαεύς (Πύθιος), praesertim Argis, quae urbs sedes vetustissima et celeberrima eius dei in Argolide fuisse videtur, Troezene, quantum scio, nullum templum, habebat. At tamen tanta erat Apollinis Πυθίου auctoritas, ut eam ne Troezenii quidem detrectare potuerint. Ludos, qui Πύθια appellabantur, a Troezeniis celebratos esse, verisimillimum est, quamquam Pausanias Troezenem sedem eorum ludorum diserte non nominat.

Alius erat Troezene deus, Apollini Πυθαεῖ cognatus, Apollo Θεάριος. Eius dei cognomen cum verbis θεωρία, θεωρὸς cohaerere ut demonstretur, nullo argumento opus est. Θεωροὶ autem legati erant, qui oraculum Delphicum publice consulebant vel celebritati feriarum Graecarum intererant. Quos viros Πυθίοις, magistratibus Lacedaemoniorum, qui Pythiam consulebant, similes fuisse recte

monet Odofr. Müller. Πύθιος igitur verbo θεωρὸς verbisque inde derivatis cognatum est. Addere velim Aeginae θεάριον Apollinis Πυθίου fuisse, cuius mentionem facit Pindarus [1]). Recte igitur collegerunt ii, qui Apollinem Θεάριον, qui Troezene venerationem habebat, cum Apolline Πυθίῳ composuerunt.

Alia res adduci potest ad id quod proposui confirmandum. Templo Apollinis Θεαρίου commemorato pergit Pausanias [2]): Τοῦ δὲ ἱεροῦ τοῦ Ἀπόλλωνός ἐστιν οἰκοδόμημα ἔμπροσθεν, Ὀρέστου καλούμενον σκηνή. πρὶν γὰρ ἐπὶ τῷ αἵματι καθαρθῆναι τῆς μητρός, Τροιζηνίων οὐδεὶς πρότερον ἤθελεν αὐτὸν οἴκῳ δέξασθαι· καθίσαντες δὲ ἐνταῦθα ἐκάθαιρον καί εἱστίων, ἐς ὃ ἀφήγνισαν. καὶ νῦν ἔτι οἱ ἀπόγονοι τῶν καθηράντων ἐνταῦθα δειπνοῦσιν ἐν ἡμέραις ῥηταῖς. Videntur igitur Troezenii existimavisse ea quae ad expiationem Orestis pertinebant ante aedem Apollinis Θεαρίου facta esse.

Fabula Orestis e Peloponneso originem duxit. Vetustissima forma eius fabulae expiationem Orestis non commemorat, nec constat, num Stesichorus eam fabulae partem tractaverit. Certe Aeschylus tragoedia illa, quae Εὐμενίδες inscripta est, ea quae de illa fabula antea scripta erant quasi obscuravit [3]).

Quantum e testimoniis veterum cognoscere possumus, fabula de expiatione Orestis in Arcadia, Athenis, Troezene celebrabatur. Quomodo Orestes in Arcadia expiatus sit, Pausanias non satis plane tradit. Alii narrant Dianam in Arcadia Orestem expiavisse [4]). Quae de Oreste apud iudices accusato absolutoque in Arcadia narrabantur, ea e fabula Atticorum sumpta esse videntur.

In fabula autem Attica Orestes ab Apolline Delphico expiatur. Qua re fabula Attica cum fabula Troezenia convenit. Licet igitur concludere Apollinem Θεάριον, ante

---

[1]) Pind. Nem. III: 78.

[2]) Paus. II: 31, 8.

[3]) Cfr Robert, Bild und Lied p. 181.

[4]) Schol. Eur. Orest. 1645.

cuius templum Orestes Troezene expurgatus esse ferebatur, eundem fuisse, atque illum, quem in fabula Attica idem fecisse constat, Apollinem Delphicum vel Πύθιον.

Apollinem Ἐπιβατήριον Troezene cultum fuisse narrat Pausanias. Id cognomen quamquam nullo alio loco inveniri potest, tamen quam vim habeat ex aliis cognominibus Apollinis cognovimus. Huic enim numini persimilis esse videtur Apollo Ἐμβάσιος, quem ad Pagasas cultum habuisse docet Apollonius Rhodius[1]). Illi deo cognatus erat Apollo Ἐκβάσιος, cuius aram prope Cyzicum exstructam fuisse apud eundem poetam eiusque scholiastam scriptum invenimus[2]). Ab eodem poeta Apollo Ἐμβάσιος cum Apolline Ἀκταίῳ componitur, cuius dei sacra Parii inveniuntur[3]). Etiam in promontorio Actio in Acarnania ille deus sedem habuit, in cuius tutela erat foedus Acarnanum[4]).

Illis cognominibus[5]), quae quasi cognatione aliqua inter se continentur, idem sensus subest. Spectant enim ad Apollinem deum tutelarem nautarum. In Peloponneso, Troezene excepta, nullum eorum cognominum occurrit. Neque in Attica neque in Creta, neque aliis locis, qui cum Troezene commercium religionum habebant, illa cognomina invenire possumus. Nondum igitur liquet, quomodo Apollo Ἐπιβατήριος Troezenem venerit.

Templum eius dei a Diomede Troezene exstructum esse scribit Pausanias. Quod mirandum sane est, cum in aliis fabulis Diomedes et Apollo nihil commune habeant. Quod autem scribit Pausanias ludos Pythios a Diomede Troezene institutos esse, id ita explicatum velim, ut ludos, qui in honorem Apollinis Πυθίου celebrabantur, Argis Troe-

---

[1]) Ap. Rhod. I: 403 ss. νήεον αὐτόθι βωμὸν ἐπάκτιον Ἀπόλλωνος Ἀκτίου Ἐμβασίοιό τ' ἐπώνυμον. Cfr I: 359: τείως δ'αὐτόθι βωμὸν ἐπακτίου Ἐμβασίοιο θείομεν Ἀπόλλωνος.

[2]) Ap. Rhod. I: 966: ἔνθ' οἵγ' Ἐκβασίῳ βωμὸν θέσαν Ἀπόλλωνι.

[3]) Str. XIII: 588.

[4]) Dittenberger Sylloge 321.

[5]) Num is deus, ut contendit Eckhel D. N. I: 457, 516, Lampsaci et Ephesi cultus fuerit, valde dubito.

zenem translatos esse suspicer. Nam cum constet Argos quasi incunabula fuisse sacrorum Apollinis Πυθίου, quae Lacedaemone, Hermionae, Epidauri aliis locis erant, verisimile est, ludos Pythios, qui Troezene habebantur, et ipsos ad Argos referendos esse, praesertim cum Diomedes, qui eos instituisse ferebatur, fabulis Argivis praecipue celebratus sit.

Quanta religione ab Epidauriis Apollo cultus sit, vel inde cognosci potest, quod Epidaurii Epidaurum heroa eponymum filium Apollinis esse putabant. Accedit quod in nummis Epidauriorum e diis praeter Aesculapium Apollo solus repraesentatus invenitur.

Apollo et Aesculapius ut pater et filius consociati erant. Atque tam arta erat coniunctio eorum, ut ea quae ad alterum pertinebant, alteri tribuerentur, ut videmus in columna, qua series curationum ope Aesculapii perfectarum enarratur, praescriptum esse: Ἰάματα τοῦ Ἀπόλλωνος καὶ τοῦ Ἀσκλαπιοῦ [1]).

De origine Apollinis Μαλεάτου praeclare disputavit Wilamowitz-Möllendorff. Ac ne rem iam tractatam retractare videar, mihi satis erit ad librum eius, qui "Isyllos von Epidauros" inscribitur, delegasse [2]).

De Apolline Νομίῳ, qui Epidauri venerationem habuisse creditur, infra verba faciam.

Apollo Ὑπαταῖος e loco, qui Ὑπάτα appellabatur, nomen accepisse videtur. Ὑπάτα oppidum erat ad amnem Spercheum situm. Verisimile est sacra Apollinis Ὑπαταίου inde Epidaurum translata esse. Quod quidem non est mirandum considerantibus nobis cultum Aesculapii e Thessalia, ad cuius fines Ὑπάτα situm erat, Epidaurum adductum esse. Nihil igitur impedit, quominus existimemus eum populum, qui sacra Aesculapii e Thessalia Epidaurum transtulit, etiam cultum Apollonis Ὑπαταίου secum tulisse.

Apollo Λύκιος Epidauri cultus fuisse non diserte traditur. Licet tamen existimare sacra eius ibi fuisse, nam

---

[1]) Cfr Apollo et Aesculapius Συγγνώμονες in titulo, quem supra attuli.

[2]) p. 98 ss.

verisimillimum est Λύκειον, quod in titulo Epidaurio, quem supra attuli, invenitur, nomine illius dei appellatum esse.

In inscriptione Epidauria Apollo Ἑκατηβελέτης invenitur. Id cognomen Homericum sonat idemque valet atque cognomina illa Homerica Ἑκηβόλος, Ἑκατηβόλος. Praeterea animadvertas velim Apollinem Ἑκατηβελέτην nullum singularem deum fuisse videri. Immo cognomen eius ut cetera quae attuli ad poetas suo more ornantes et amplificantes referendum est.

DIANA.

TROEZENE.

Paus. II: 30, 7. Μετὰ δὲ Ἄλθηπον Σάρων ἐβασίλευσεν. ἔλεγον δὲ ὅτι οὗτος τῇ Σαρωνίδι τὸ ἱερὸν Ἀρτέμιδι ᾠκοδόμησεν ἐπὶ θαλάσσῃ τελματώδει καὶ ἐπιπολῆς μᾶλλον, ὥστε καὶ Φοιβαία λίμνη διὰ τοῦτο ἐκαλεῖτο. Σάρωνα δὲ, θηρεύων γὰρ δὴ μάλιστα ἥδετο, κατέλαβεν ἔλαφον διώκοντα ἐς θάλασσαν συνεσπεσεῖν φευγούσῃ. καὶ ἥ τε ἔλαφος ἐνήχετο ἀπωτέρω τῆς γῆς καὶ ὁ Σάρων εἴχετο τῆς ἄγρας, ἐς ὃ ὑπὸ προθυμίας ἀφίκετο ἐς τὸ πέλαγος· ἤδη δὲ κάμνοντα αὐτὸν καὶ ὑπὸ τῶν κυμάτων κατακλυζόμενον ἐπέλαβε τὸ χρεών. ἐκπεσόντα δὲ τὸν νεκρὸν κατὰ τὴν Φοιβαίαν λίμνην ἐς τὸ ἄλσος τῆς Ἀρτέμιδος ἐντὸς τοῦ ἱεροῦ περιβόλου θάπτουσι, καὶ λίμνην ἀπὸ τούτου Σαρωνίδα τὴν ταύτῃ θάλασσαν καλοῦσιν ἀντὶ Φοιβαίας.

Paus. II: 31, 1. Ἐν τῇ ἀγορᾷ Τροιζηνίων ναὸς καὶ ἀγάλματα Ἀρτέμιδός ἐστι Σωτείρας. Θησέα δὲ ἐλέγετο ἱδρύσασθαι καὶ ὀνομάσαι Σώτειραν, ἡνίκα Ἀστερίωνα τὸν Μίνω καταγωνισάμενος ἀνέστρεψεν ἐκ τῆς Κρήτης.

Paus. II: 31, 4. Πλησίον δὲ τοῦ θεάτρου Λυκείας ναὸν Ἀρτέμιδος ἐποίησεν Ἱππόλυτος. ἐς δὲ τὴν ἐπίκλησιν οὐδὲν εἶχον πυθέσθαι παρὰ τῶν ἐξηγητῶν, ἀλλὰ ἢ λύκους ἐφαίνετό μοι τὴν Τροιζηνίαν λυμαινομένους ἐξελεῖν ὁ Ἱππόλυτος, ἢ Ἀμαζόσι, παρ' ὧν τὰ πρὸς μητρὸς ἦν, ἐπίκλησις τῆς Ἀρτέμιδός ἐστιν αὕτη.

Antiquissimi nummi (c. 430—400 vel vetustiores): Signum Dianae (Head, Hist. Numm.: Troez.).

HERMIONAE.

Paus. II: 35, 1. Καὶ Ἀρτέμιδος ἐπίκλησιν Ἰφιγενείας ἐστὶν ἱερόν, καὶ Ποσειδῶν χαλκοῦς τὸν ἕτερον πόδα ἔχων ἐπὶ δελφῖνος.

EPIDAURI.

Paus. II: 27, 5. Ἐντὸς δὲ τοῦ ἄλσους ναός τέ ἐστιν Ἀρτέμιδος καὶ ἄγαλμα Ἠπιόνης καὶ Ἀφροδίτης ἱερὸν καὶ Θέμιδος.

Paus. II: 28, 2. Ἐπὶ δὲ τῇ ἄκρᾳ τοῦ ὄρους Κορυφαίας ἐστὶν ἱερὸν Ἀρτέμιδος, οὗ καὶ Τελέσιλλα ἐποιήσατο ἐν ᾄσματι μνήμην.

Paus. II: 29, 1. Ναοὶ δὲ ἐν τῇ πόλει καὶ Διονύσου καὶ Ἀρτέμιδός ἐστιν ἄλλος· εἰκάσαις ἂν θηρευούσῃ τὴν Ἄρτεμιν.

C. I. G. 1172. Παναρίστα? Αρτάμυτι δεκάταν.

C. I. G. 1173. Ἀρτέμιδος Ἀπ[όλλωνος] Στατείλιος ἱεραπολήσας (in monte Cynortio).

Ἐφ. ἀρχ. 1883 p. 28 (5). Ἀρτέμι[δ]ος Παμφυλα[ί]ας. Εὐκράτης Εὐκράτεος πυροφορήσας.

Ἐφ. ἀρχ. 1883 p. 152 (48). Ἀρτέμιδι Ἑκάτηι Ἐπηκόωι Φάβουλλος.

Ἐφ· ἀρχ. 1884 p. 27 (71). Ἀρτάμιτος Προθυραίας.

Ἐφ. ἀρχ. 1885 p. 195 (98). Ἀρτέμιδι Ὀρθία Διονύσιος κατ' ὄναρ.

Diana a Troezeniis summa religione colebatur, id quod vel ex eo cognosci potest, quod nummi antiquissimi signum Dianae habent. Accedit quod fabulae, quae ad Troezenem maxime spectant, huic numini sese applicant, ut Saron, unus ex antiquissimis regibus Troezeniorum, Theseus, ante omnes Hippolytus cum Diana artissime coniunguntur.

Saron templum Dianae Σαρωνίδι dedicasse ferebatur in loco, qui Φοιβαία λίμνη appellabatur. Is cum cervum persequeretur studio venandi abreptus in mare provectus est, ubi fluctibus demersus mortem occubuit. Ea apud Troezenios fabula obtinebat. Similem fabulam in Creta invenimus. Minos Britomartim per novem menses

persequitur. Britomartis, cum iam in eo esset, ut a Minoe comprehenderetur, a summo scopulo sese in mare praecipitat. Quod in fabula Cretica Britomartis a viris Cydoniis retibus e mari extracta esse dicitur, id eo consilio adiectum esse videtur, ut nomen Δίκτυννα, quae dea Britomarti persimilis esse videtur, explicaretur. Neminem fallit, quantopere hae fabulae inter se consentiant.

In fabula Troezenia personam Britomartis vel Dianae sustinet cervus, animal Dianae sacrum, ut persaepe in fabulis in locum numinis alicuius animal vel res eiusdem numinis sacra substituitur. Admodum igitur probabile est Dianam illam Troezeniorum, quae cum Sarone coniungitur, eandem fuisse quam Britomartim vel Dianam Cretensium [1]. Adicere velim Euripidem in fabula, quae Hippolytus inscribitur, Dianam Δίκτυνναν nominare, cum verisimile sit eum maxime Dianam Troezeniorum ante oculos habuisse.

Litus, ubi templum Dianae Σαρωνίδος exstructum erat, Φοιβαία λίμνη appellabatur, antequam id nomen in Σαρωνὶς mutatum est. Quod cognomen ad Φοῖβον vel Φοίβην spectare patet. Sequitur Dianam, quae ibi colebatur, cum Apolline quodammodo coniunctam fuisse. Itaque minus recte, ut mihi quidem videtur, iudicavit Odofr. Müller, qui Dianam Σαρωνίδα eandem fuisse censet [2], atque Dianam, quam antiquitus colebant Arcades; cui deae nullum cum Apolline commercium fuisse recte idem monet.

Diana Σώτειρα cum fabula Thesei cohaeret, nam Theseus illi deae templum dedicavisse dicitur. Unde Diana id cognomen acceperit, non facile est diiudicare. Satis erit monere Dianam Σώτειραν multis aliis locis cultam fuisse, ut Megarae, Pagis, Boeis, Phigaliae, Megalopoli alibi [3].

Idem cognomen etiam aliis numinibus additur, Veneri, Minervae, Proserpinae, nulli autem tam saepe quam Iovi. Animadvertendum est ad religiones Troezeniorum etiam

---

[1] Cfr Preller-Robert, Gr. Myth. I: 318. Eur. Hippol. 145 τὰν πολύθηρον Δίκτυνναν, 1130 Δίκτυνναν ἀμφὶ σεμνάν.

[2] Müller Dorier I: 374.

[3] Cfr Preller-Robert Gr. Myth. I: 320 n. 2.

sacra Iovis Σωτῆρος pertinuisse. Is Megalopoli una cum Diana Σωτείρᾳ colebatur. Atque satis verisimile esse videtur Troezene quoque Iovem et Dianam hoc cognomine praeditos aliquo modo coniunctos fuisse. Quod si conceditur, nihil impedit, quominus existimetur illa Diana ea fuisse, quam Odofr. Müller Arcadiam apellat, cui nihil cum Apolline rationis intercedit. Quae opinio ea re confirmari videtur, quod Iovem Σωτῆρα et Dianam Σώτειραν Megalopoli exstitisse atque Iovem Dianamque inter antiquissima numina Arcadiae fuisse constat.

Diana vero Λυκεία Apollini adfinis esse videtur. Quamquam enim nullum testimonium indicat illam Dianam a Troezeniis una cum Apolline cultam fuisse, tamen nemo fere negaverit cognomen illud Λυκεία e sacris Apollinis esse repetendum. Apollo Λύκειος (Λύκιος) Argis insigni in honore habebatur, cuius cultus inde a remotissima antiquitate floruisse videtur, indeque sacra eius Sicyona, Epidaurum, Megaram, Athenas translata esse videntur. Probabile igitur est Dianam Λυκείαν, quam colebant Troezenii, ad religiones illius Apollinis pertinere.

Alia quoque Diana, ni fallor, Troezene colebatur· Quod ut credam adducor, quod Schol. Apoll. Rhod. scribit, carmina quaedam in honorem Dianae a Troezeniis cani solita esse eaque Οὔπιγγοι vocata esse [1]). Ὦπις traditur una e virginibus Hyperboraeis quae vocantur fuisse, quas una cum Apolline et Diana Delum [2]) advenisse fabula fert. Ὦπιν re vera nihil aliud fuisse quam Dianam ipsam iure contendere licet, ut in fabulis pervulgatum est cognomina numinis ipsius heroibus vel heroidibus asseclis addi. Ephesi Diana Οὖπις colebatur [3]), itemque Lacedaemone [4]) et in Creta [5]). Admodum verisimile est eandem fuisse Dianam, cuius cultus apud Troezenios carminibus illis celebrabatur.

---

[1]) Schol. Ap. Rh. I: 972.

[2]) Her. IV: 35.

[3]) Call. Hymn. in Dianam 240.

[4]) Palaeph. 32.

[5]) Call. Hymn. in Dian. 204.

Hermionae cultum Dianae Ἰφιγενείας invenimus, quod cognomen Dianae nullo alio loco additur. Neque tamen id mirari oportet, nam tota fabula Iphigeniae ad Dianam spectat. Pausanias narrat Hesiodum Stesichorumque tradidisse Iphigeniam voluntate Dianae in Hecaten mutatam immortalem factam esse. Hecate autem quam propinqua cognatione cum Diana coniuncta fuerit, nemo fere ignorat. Euripides Iphigeniam inducit partes Ilithyiae sustinentem [1], quod numen et ipsum a Diana non diversum esse plerumque videmus. Pausanias narrat Aegirae in templo Dianae vetus fuisse simulacrum Iphigeniae, unde concludit templum ipsum iam inde ab initio Iphigeniae dedicatum fuisse [2]. Vides igitur non deesse exempla, quae declarent, cur ab Hermionensibus Diana Ἰφιγένεια appellata sit. Alia addere possum Megara et Lacedaemone arcessita.

Quantum e verbis Pausaniae coniectari licet, simulacrum Neptuni in templo Dianae vel iuxta positum erat. Quorum numinum societas haud saepe invenitur. Iam supra monui Corinthi et Lacedaemone Neptuno Dianaeque societatem cultus fuisse videri [3].

Epidauri multae species Dianae inveniuntur. Inscriptio in ruderibus Aesculapii reperta docet ab Epidauriis Dianam Ἑκάτην cultam fuisse. Cuius deae templum non longe a templo Aesculapii exstructum erat. Cum Diana Hecateque plerumque coniunctissimae essent, nonnullis locis utrumque numen in unum ita confundebatur, ut una eademque dea esse crederetur, id quod Epidauri evenisse videtur. In consimili societate Dianam Hecatenque Athenis et Deli fuisse docent inscriptiones Atticae Deliacaeque [4].

Diana Ἑκάτη cognomen Ἐπήκοος habebat, quod Ephesi quoque Dianae additum invenitur [5]. Quo cum cognomine

[1]) Eur. Iph. Taur. 1462 ss.

[2]) Paus. VII: 26, 4, 5.

[3]) Fortasse etiam Megarae, Paus. I: 38, 6 ἔστι δὲ Προπυλαίας Ἀρτέμιδος καὶ Ποσειδῶνος Πατρός.

[4]) Ut alia omittam licet adferre C. I. A. I: 208 et Dittenberger Syll. 367: 45, 176.

[5]) Bull. de Corr. Hell. 1877, 293.

aliud conferri potest, Εὐάκοος, quod in inscriptionibus Mitylenaeis [1]) et Creticis [2]) occurrit.

Adfinis vel eadem fuisse videtur Diana Προθυραία [3]). Id cognomen significat illam deam portas custodire, quod munus etiam Hecatae tribuitur. Dianam Προθυραίαν ab Hesychio commemoratam esse invenimus [4]). Eius similitudinem habet Diana Προπυλαία, quae Eleusine colebatur [5]).

Diana Ορθία in inscriptione Epidauria, quae in luco Aesculapii reperta est, commemoratur. Cuius cultus multis aliis locis invenitur. Lacedaemone eximia religione colebatur et ante aram eius iuvenes Spartiatarum flagellis caedebantur [6]). A Schol. Pind. aliae sedes eiusdem deae enumerantur [7]): mons Orthosium in Arcadia situs, Elis, vicus Athenarum, qui Κεραμεικὸς appellabatur. Etiam Megarae [8]), Byzantii [9]), prope Argos in monte Lycone [10]) sacra eius deae inveniuntur.

In monte Cynortio inventa est inscriptio Dianae dedicata. In eodem monte Apollo Μαλεάτας sedem habebat; licet igitur colligere Apollinem et Dianam ibi coniunctos fuisse.

Dianam Παμφυλαίαν apud Epidaurios cultam fuisse docet titulus, quem supra attuli. Apparet id cognomen a Πάμφυλοι derivatum esse, quo nomine homines ad tribum quandam Epidauriam pertinentes significantur. Πάμφυλοι etiam Argis [11]), Megarae [12]), Sicyone [13]) inveniuntur.

---

1) C. I. G. 2172, 2173.

2) C. I. G. 2566.

3) Cfr Hesych. Ἑκάτη Προπόλα.

4) Hesych. Ὦπι ἄνασσα παρὰ προθύροις. Cfr Orph. hymn. 2 tit. et v. 4. 12.

5) Paus. I: 38, 6.

6) Paus. III: 16, 10.

7) Schol. Pind. Ol. III: 54.

8) C. I. G. 1064.

9) Herod. IV: 87.

10) Paus. II: 24, 5.

11) C. I. G. 1132.

12) C. I. G. 1073.

13) Herod. V: 68.

In ipso oppido Epidauriorum describendo Pausanias cultum Dianae commemorat ita ut suspicari liceat inter eam Bacchumque societatem quandam religionum fuisse, id quod haud saepe invenitur. Quamquam enim Apollo et Bacchus artissimis vinculis iunguntur, soror Apollinis in societatem Bacchi raro venit. Aeginae, in insula Epidauro finitima, tradit Pausanias [1]) trium templorum, quae inter se non longe distabant, unum Apollini, alterum Dianae, tertium Baccho dedicatum fuisse. Patris duo illa numina adfinitate quadam iunguntur per Eurypylum, qui sacra Bacchea Patras introduxisse ferebatur [2]). Eurypylus cum amentia liberatus esset Dianae Σωτηρίᾳ aedem exstruxit et in luco Dianae sepultus est. Idem dicitur morem Dianae Τρικλαρίᾳ hominis mactandi sustulisse. Quanta fuerit Patris societas inter Bacchum Dianamque, vel optime apparet e moribus sacris ritibusque, quibus feriae Bacchi Αἰσυμνήτου celebrari solebant. Proxima nocte virgines puerique coronis spiceis redimiti ex oppido ad rivum Μείλιχον procedebant. Unde postquam coronas Dianae Τρικλαρίᾳ dedicaverant et coronas hederaceas capitibus imposuerant, in oppidum ad templum Bacchi Αἰσυμνήτου redibant.

Etiam Braurone sacra Dianae cum sacris Baccheis coniuncta fuisse videntur [3]).

VENUS.

Paus. II: 32, 3. Κατὰ δὲ τὸ ἕτερον τοῦ περιβόλου μέρος στάδιόν ἐστιν Ἱππολύτου καλούμενον, καὶ ναὸς ὑπὲρ αὐτοῦ Ἀφροδίτης Κατασκοπίας· αὐτόθεν γὰρ, ὁπότε γυμνάζοιτο ὁ Ἱππόλυτος, ἀπέβλεπεν ἐς αὐτὸν ἐρῶσα ἡ Φαίδρα.

Paus. II: 32, 6. Διαβὰς δὲ καὶ ἐς τὴν Τροιζηνίαν ναὸν ἴδοις ἂν Ἴσιδος καὶ ὑπὲρ αὐτὸν Ἀφροδίτης Ἀκραίας· τὸν μὲν ἅτε ἐν μητροπόλει τῇ Τροιζῆνι Ἁλικαρνασεῖς ἐποίησαν, τὸ δὲ ἄγαλμα τῆς Ἴσιδος ἀνέθηκε Τροιζηνίων δῆμος.

---

1) Paus. II: 30, 1.

2) Paus. VII: 19, 20.

3) Müller, Dorier I: 380, 3.

Paus. II: 32, 7. Τῆς δὲ πέτρας πλησίον Ἀφροδίτης ἐστὶν ἱερὸν Νυμφίας, ποιήσαντος Θησέως, ἡνίκα ἔσχε γυναῖκα Ἑλένην.

'Bull. de corr. Hell. 1886. 136 . . . καὶ τᾶς Ἀφροδίτας τᾶς ἐμ Βάσσαις διδόντι τὸ χωρίον τὸ . . .

Nummi: Venus laeva manu pomum tenens, dextra velamen tollens.

HERMIONAE.

Paus. II: 34, 11. Τὰ δὲ ἐς συγγραφὴν καὶ ἄλλα παρείχετο, καὶ ὧν αὐτὸς ποιήσασθαι μάλιστα ἠξίωσα μνήμην, Ἀφροδίτης ναός ἐστιν ἐπίκλησιν Ποντίας καὶ Λιμενίας τῆς αὐτῆς, ἄγαλμα δὲ λευκοῦ λίθου, μεγέθει τε μέγα καὶ ἐπὶ τῇ τέχνῃ θέας ἄξιον.

Paus. II: 34, 12. Καὶ ναὸς ἕτερός ἐστιν Ἀφροδίτης· αὕτη καὶ ἄλλας ἔχει παρὰ Ἑρμιονέων τιμάς, καὶ ταῖς παρθένοις καὶ ἣν γυνὴ χηρεύουσα παρὰ ἄνδρα μέλλῃ φοιτᾶν, ἁπάσαις πρὸ γάμου θύειν καθέστηκεν ἐνταῦθα.

C. I. G. 1233 . . . τᾷ Ἀφροδίτᾳ.

EPIDAURI.

Paus. II: 27, 5. Ἐντὸς δὲ τοῦ ἄλσους ναός τέ ἐστιν Ἀρτέμιδος καὶ ἄγαλμα Ἠπιόνης καὶ Ἀφροδίτης ἱερόν.

Paus. II: 29, 1. Ἀφροδίτης τε ἱερὸν πεποίηται.

Venus Κατασκοπία cur hoc cognomen acceperit, Pausanias explicare conatus est. Dicit enim ab eo loco, ubi illi numini templum exstructum erat, Phaedram amore incensam Hippolytum cum in stadio exercitationes haberet aspexisse. Quae explicatio et quae ei similia excogitari possunt reicienda esse mihi videntur. Illud cognomen ad Venerem potius tamquam deam marinam pertinet, quae mare despiciens nautis favet et consulit. Quo munere fungentem cum Veneri Ποντίᾳ, Λιμενίᾳ, Εὐπλοίᾳ licet conferre[1]). Veneri Κατασκοπίᾳ cognatus esse videtur Apollo Προόψιος, nam cognomina inter se simillima sunt. In comparationem

[1]) Cfr Venus Παρακύπτουσα, quae Salamine colebatur, Plut. Amator. 766 D.

vocari potest etiam Apollo Ἐκβάσιος, Ἐπιβατήριος. Neque, opinor, casui tribuendum est, si invenimus Venerem Κατασκοπίαν et Apollinem Ἐπιβατήριον in eodem luco templa habuisse. Animadvertas velim ea numina ita quoque coniuncta fuisse, ut templa eorum a Diomede dedicata esse traderentur.

Apollo et Venus etiam Deli religione iunguntur [1]). Ut Diomedes illis numinibus Troezene templa dedicasse credebatur, ita fabula ferebat Theseum, cum Delum navem appulisset, Veneri et Apollini sacra fecisse [2]). Apollo et Venus etiam aliis locis sacra communia habebant, ut Cnidi, Bassis, Patris, in promontoriis Leucata et Actio [3]).

In eodem luco, ubi Apollo et Venus a Troezeniis colebantur, simulacrum Aesculapii fuisse tradit Pausanias. Societas sacrorum Apollinis, Veneris, Aesculapii non raro invenitur. Ut de Epidauro non dicam, ubi in luco Aesculapii templa Apollinis et Veneris exstructa erant [4]), Sicyone in luco Aesculapii Apollo Κάρνειος et Venus colebantur [5]); Rhodi tria illa numina communem lucum habuisse docet inscriptio nuper reperta [6]). In portu Cyllene cum Aesculapio consociata fuisse Venus videtur [7]).

Altera Venus Troezeniorum Ἀκραία appellabatur, quod cognomen etiam Iunoni atque Minervae saepius additur. Apparet cultum Veneris Ἀκραίας late patuisse. Argis eam templum habuisse docet Hesychius [8]). Cnidi Venus Ἀκραία venerationem habebat una cum Venere Δωρῖτι et Εὐπλοίᾳ [9]). Etiam in Cypro in monte Olympo Venerem Ἀκραίαν invenimus [10]).

---

1) Bull. de corr. Hell. 1882: 29 ss. Dittenb. Sylloge: 367.

2) Plut. Thes. 18.

3) Vide locos, quos attulit Gerhard, Griechische Mythologie I: 410.

4) Paus. II: 27, 5. 6.

5) Paus. II: 10, 2. 4.

6) Bull. de corr. Hell. 1880: 139: δωρεὰν [δὲ] τὸ τέμενος τοῦ Ἀσκλαπ[ι]οῦ καὶ τοῦ Ἀπόλλ[ωνος καὶ] τᾶς Ἀφροδίτας.

7) Paus. VI: 26, 5.

8) Hesych. v. Ἀκρία.

9) Paus. I: 1, 3.

10) Strabo XIV: 682.

Plerique scriptores rerum mythologicarum contendunt sacra Veneris Ἀκραίας Troezenem Halicarnasso, quae erat colonia Troezeniorum, translata esse. Quae quidem res mihi incerta esse videtur. Nam utrum verba illa Pausaniae τὸν μὲν (ἅτε ἐν μητροπόλει κτλ.) ad ναὸν (ἴδοις ἂν) Ἴσιδος an ad (ναὸν) Ἀφροδίτης Ἀκραίας spectent, non satis liquet. Fieri tamen potest, ut Halicarnassenses sacra illius Veneris a Cnidiis (ut plerumque solet inter vicina oppida esse commercium sacrorum) recepta Troezenem importaverint.

Venus cum Iside consociata raro reperitur. Liceat mihi hoc loco adferre titulum Athenis inventum, in ara, quae compluribus diis dedicata erat, insculptum [1]).

Ἑρμοῦ Νυμφῶν Ἴσιδος
Ἀφροδείτης
Πανός.

Optimo, ut mihi quidem videtur, iure Köhler [2]) conclusit, in templo Veneris fuisse simulacra Mercurii Panosque atque prope templum eius Isidem atque Nymphas cultas fuisse. Athenis igitur societatem eandem Veneris Isidisque invenimus atque Troezene. Quae res confirmat ea, quae de commercio sacrorum inter Athenienses Troezeniosque intercedente iam supra adnotavi.

Deli quoque Isis cum Venere coniuncta colebatur [3]).

Tertia Venus cognomine Νυμφία a Troezeniis colebatur. Quod cognomen ad nymphas referendum esse facile quispiam suspicetur, praesertim cum Venus et Nymphae saepissime consocientur. At tamen adducor ut credam cognomen illud Νυμφία ad Venerem deam nuptiarum spectare. Conferenda esse censeo cognomina Iunonis Νυμφευομένη, Παρθένος alia, quibus eundem sensum inesse constat. Hanc ad confirmandam opinionem nonnihil valere videtur ea fabula, quae de templo Veneris Νυμφίας condendo adfertur.

---

[1]) Mittheilungen des Athen. Instituts 1877: 246.

[2]) l. c.

[3]) Bullet. de corr. Hell. 1882: 330. Num eadem ratio eorum numinum Aegii quoque fuerit (Preller-Rob. Gr. Myth. 348, a. 3), in dubium vocari potest.

Id enim templum a Theseo conditum esse credebatur, cum Helenam raptam in matrimonium duxisset — id quod mihi quidem testari videtur hanc deam olim apud Troezenios munere deae nuptialis functam esse. Cui rei perbene convenit, quod apud Hermionenses, vicinos Troezeniorum, ad quorum fines templum Veneris Νυμφίας situm erat, Venus dea nuptialis erat.

Venerem Νυμφίαν iuxta Iovem sedem habuisse, docet Pausanias. Eam consociationem fortuitam fuisse cave existimes. Iuppiter et Venus etiam Lacedaemone[1]) religione iunguntur, ubi in aedificio rotundo simulacra eorum una posita erant[2]). Monere velim neque Troezene neque Lacedaemone Iovem cum alia dea quam cum Venere coniunctum fuisse videri.

Proprium est Iovis, quod ea societas, quae inter eum et aliquam deam initur, speciem et formam matrimonii habet. Quam religionem, ut est animis simplicibus atque rudibus maxime accommodata, a remotissimis temporibus repetendam esse recte iudicarunt viri docti, qui rebus mythologicis investigandis operam dederunt.

De nuptiis Iunonis et Iovis, quae multis locis celebrabantur, supra verba feci.

Itemque societas Iovis et Proserpinae speciem matrimonii induit. Quibus diis feriae, quae θεογάμια, ἀνακαλυπτήρια appellabantur, Thebis, Cyzici, Agrigenti celebrabantur, ut testes sunt Pollux[3]) et Schol. Eur. Phoen.[4]). Et haud scio an amores, quos Iovem cum feminis mortalibus iunxisse fabulae narrant, principio eundem sensum habuerint[5]).

---

[1]) Paus. III: 12, 11.

[2]) Venus Dodonaea, quae cum Iove consociata esse ferebatur (Verg. Aen. III: 446) nulla alia est quam Dione.

[3]) Pollux I: 37.

[4]) Schol. Eur. Phoen. 688.

[5]) Si quis ad hanc opinionem refellendam adferat inter Minervam et Iovem, quae numina tamquam Πολιοῦχοι sacra communia saepissime habuerunt, matrimonium non fingi, monere velim castitatem Minervae, cuius opinio apud Graecos vigebat, prohibuisse, ne fabulae in eum sensum fingerentur. Accedit quod illa numina consociata esse videntur

His rebus consideratis nemo me reprehenderit suspicantem inter Iovem et Venerem Νυμφίαν eandem rationem intercessisse. Quod si conceditur, id cognomen Veneris aptissime explicatur cognominibus similibus Iunonis in comparationem adductis. Tum etiam cognoscere licet, cur cultus Iovis eo loco saxo ingenti et rudi adnexus fuerit, nam si origo societatis Veneris et Iovis ad ea tempora refertur, quibus deus et dea, qui sacra communia habebant, matrimonio iuncti esse fingerentur, ea colendi forma facilis est ad intelligendum.

Titulus docet apud Troezenios Venerem ἐν βάσσαις venerationem habuisse. Vocabulum βῆσσαι a grammaticis verbis ὑδρηλοὶ τόποι redditur, unde sequitur Venerem ἐν βάσσαις cum Venere ἐν ἕλει, ἐν καλάμοις conferendam esse.

Hermionae Venus Ποντία vel Λιμενία colebatur, quae cognomina deam maris nautarumque significant. Eius numinis cultus late patuit. Ut alia omittam, Venus Εὐπλοία Cnidi, Piraeei [1]), Aegis [2]) colebatur, ubi sedes Veneris, ut Aeginae, Patris, in portubus Corinthiorum, ad mare sitas fuisse verisimile est. Eodem spectant cognomina Veneris Ἀκραία et Κατασκοπία.

Altera Venus Hermionensium nullum cognomen habuit. Ei virgines Hermionensium sacrificare solebant ante nuptias celebrandas, unde cognoscitur ei Veneri nuptias curae fuisse. Eodem munere Venerem Ἥραν apud Lacedaemonios functam esse invenimus [3]). Adfinis fuisse videtur Venus, quae in spelunca quadam a Naupactiis colebatur [4]), a qua cum virgines tum viduae nuptias precari solebant. Eodem referenda esse videtur Venus Νυμφία Troezeniorum, de qua mentionem modo feci [5]).

---

posterioribus temporibus, cum Graeci iam coepissent oppida condere, quorum numina tutelaria Iuppiter et Minerva persaepe erant.

[1]) Paus. I: 1, 3.

[2]) C. I. G. 4443.

[3]) Paus. III: 13, 9.

[4]) Paus. X: 38, 12.

[5]) Liceat mihi hoc loco commonere ea, quae ap. Preller-Rob. Gr. Myth. I: 350 n. 3 de Venere Hermionensium adferuntur, minus recte

De ea societate, quam apud Epidaurios Venus cum Aesculapio habebat, modo verba feci.

In Aesculapio Epidauriorum erant templum Dianae, simulacrum Epiones, templa Veneris et Themidis. In ipso oppido Epidauriorum describendo templa Dianae et Veneris componit Pausanias. Num inde concludi liceat ea numina inter se coniuncta fuisse, pro certo adfirmari non potest, quamquam probabile est rem se ita habuisse. Eodem modo in oppido Naupactiorum describendo Pausanias Dianam et Venerem coniungit [1]).

In luco Aesculapii Venus et Themis religione iunguntur. Eandem rationem illorum numinum Gythii fuisse reperiemus, si quidem probabitur emendatio, quam ad Paus. III: 22, 2 propono: ἄγαλμα Θέμιδος καὶ θεᾶς Πραξιδίκας ἱδρύσατο ἐγγὺς τῆς Μιγωνίτιδος (᾿Αφροδίτης) vocabulo Θέτιδος, quod habent MSS. et editores, in Θέμιδος mutato. Itemque Athenis [2]) Venus et Themis coniunctae erant; Rhamnunte iuxta templum Themidis erat templum Nemesios [3]), quae dea Veneri persimilis erat [4]). Tanagrae Venus et Themis una cum Baccho, Apolline, Diana, Latonaque inveniuntur [5]).

---

relata esse videri. Ita enim scriptum est, ut necesse sit putemus, Veneri Ποντίᾳ καὶ Λιμενίᾳ a virginibus sacrificatum esse; eam autem aliam fuisse Venerem, diserte scribit Pausanias.

[1]) Paus. X: 38, 12. Memorabilis inter illum locum et Paus. II: 29, 1 intercedit similitudo. Hic scribit Pausanias: ᾿Αρτέμιδός ἐστιν ἄλλος (ναός)· εἰκάσαις ἂν θηρευούσῃ τὴν ῎Αρτεμιν. ᾿Αφροδίτης τε ἱερὸν κτλ.; illic: καὶ ἱερὸν ᾿Αρτέμιδος καὶ ἄγαλμα λευκοῦ λίθου· σχῆμα δὲ ἀκοντιζούσης παρέχεται, καὶ ἐπίκλησιν εἴληφεν Αἰτωλή, ᾿Αφροδίτη δὲ κτλ.

[2]) Paus. I: 22, 1—3. Köhler, Mitth. d. athen. Inst. 1877: 176 ss.

[3]) Welcker Gr. Götterl. III: 20. Bursian, Geogr. v. Griech. I: 341 s. Cfr C. I. G. 461, 462.

[4]) Cfr Preller-Robert Gr. Myth. I: 358 n. 1.

[5]) Paus. IX: 22, 1.

MARS.

TROEZENE.

Paus. II: 32, 9. Πρὸ δὲ τοῦ χωρίου τούτου ναός ἐστιν Ἄρεως, Θησέως καὶ ἐνταῦθα Ἀμαζόνας μάχῃ κρατήσαντος· αὗται δ'ἂν εἴησαν τῶν ἐν τῇ Ἀττικῇ πρὸς Θησέα καὶ Ἀθηναίους ἀγωνισαμένων.

Paus. II: 35, 9. Παρὰ μὲν δὴ τοῦτόν ἐστιν ἄλλος ναὸς καὶ ἄγαλμα Ἄρεως.

HERMIONAE.

C. I. G. 1221 . . . τὸν ἱερέα Ἄρεως Ἐνοιαλίου.

Mars ut in arte ita in cultu Graecorum minus quam ceteri dii deaeque prominet. In religionibus Troezeniorum et Hermionensium cultum Martis altis radicibus defixum fuisse, nemo iure contenderit. Quod vel ex eo cognosci potest, quod in nulla fabula Troezenia vel Hermionica reges vel heroes indigenae Marte orti esse ferebantur, id quod cum in aliis regionibus Graeciae tum in Thracia, Thessalia, Boeotia usu venit. Licet enim Mars Troezenius cum Theseo, heroe illo gentili Troezeniorum, consociatus fuerit, pater Thesei non erat Mars, sed Neptunus.

Prope eum locum, ubi Theseus natus esse ferebatur, Γενέθλιον quod vocabatur, Marti templum exstructum erat, ubi Theseus Amazonas proelio vicisse credebatur. Ut fabula Thesei Troezeniis cum Atheniensibus communis erat, ita Mars cum Theseo coniunctus Athenis quoque reperitur: Prope templum illud, quod Athenis Marti exstructum erat cum alia signa tum simulacrum Thesei positum fuisse tradit Pausanias [1]).

Amazones etiam aliis locis cum Marte componuntur. In Areopago Atheniensium Amazonas castra posuisse narrat Aeschylus, qui sine dubio veterem fabulam sequebatur. Praeterea Amazones a permultis scriptoribus filiae Martis esse perhibentur [2]).

---

[1]) Paus. I: 8, 4.

[2]) Vide exempla ap. Preller-Robert Gr. Myth. I: 343 n. 5. allata.

Hermionae Mars cum diis inferis componitur: iuxta templum Clymeni Marti delubrum dedicatum erat, quae consociatio Martis deorumque inferorum et ipsa ad Atticam spectare videtur. In colle Martis, Areopago, Σεμναί, deae inferae, in spelunca colebantur; et Thebis, ubi numen Martis in summo honore erat, Erinnys Tilphossa ex eo gravida serpentem Cadmi enixa esse ferebatur [1]).

Titulus Hermionicus, quem supra attuli, demonstrat extremis temporibus aetatis imperatorum Romanorum, Hermionae sacerdotem fuisse Martis Ἐνυαλίου. Sacra Martis Ἐνυαλίου Lacedaemone [2]), Megarae [3]), Salamine [4]), Erythris [5]) inveniuntur; Athenis Ἐνυάλιος praecipua veneratione colebatur. Per eum iurabant ephebi Atheniensium; Marti Ἐνυαλίῳ et Dianae Ἀγροτέρᾳ sacrificare eius magistratus erat, qui Πολέμαρχος appellabatur [6]).

VULCANUS.

TROEZENE.

[Methanae: nummi: caput Vulcani pilleati (Imh.-Blum. Gardn. Num. Comm. of Paus.: Methana)].

EPIDAURI.

C. I. G. 1179. Ἁφαίστου.

Hic titulus inter rudera Aesculapii repertus docet ibi Vulcanum quoque venerationem habuisse.

Apud Hermionenses nullum vestigium cultus Vulcani exstat. Troezene nullum templum, nullam aram Vulcani invenimus. At tamen putaverim eum inter deos Troezeniorum numerandum esse. Scribit Pausanias [7]): οὐ πόρρω

---

[1]) Cfr Müller Eumenid. p. 169.

[2]) Paus. III: 15, 7.

[3]) Plut. Sol. 9.

[4]) Thuk IV: 67.

[5]) Dittenb. Sylloge: 370.

[6]) Pollux VIII: 91, 106.

[7]) Paus. II: 31, 3.

δὲ ἱερὸν Μουσῶν ἐστί. ποιῆσαι δὲ ἔλεγον αὐτὸ Ἄρδαλον παῖδα Ἡφαίστου. Vulcanus igitur pater Ardali fuisse ferebatur, quem tibiae inventorem fuisse narrant. Odofr. Müller putavit Ardalum eundem fuisse atque Arsalum, regem Solymorum, qui post mortem deus est factus [1]). Quae opinio ut confirmaretur, nihil habuit quod adferret nisi similitudinem quandam inter duo illa nomina intercedere. Quamquam de ea re nihil certum adfirmari potest, inclinat animus, ut potius credam originem Ardali ad Cretam referendam esse [2]).

Ea monumenta, quae una cum templo araque Musarum, quae Ardalus dedicaverat, posita erant, cum rebus Cretensibus cohaerere videntur. Templum Dianae Σωτείρας in memoriam Thesei e Creta reversi exstructum erat. Post illud templum erat monumentum Pitthei, in quo erant solia tria, ubi statuae Pitthei duorumque assessorum ius dicentium insidebant. Quam fabulam eandem fuisse atque eam, quae Cretenses Minoa atque Rhadamanthum una cum Aeaco iudicantes facit, nemo facile negaverit. Ab illis monumentis non longe distabat templum Musarum, quod Ardalus, Vulcani filius, condidisse dicebatur.

Neque quidquam prohibere videtur, quominus putemus Troezenios a Cretensibus tibiam accepisse. Constat enim tibiam in cultu Iovis temporibus satis remotis a Cretensibus adhibitam esse [3]).

Quaeritur, cur Troezenii Vulcanum patrem Ardali fuisse crediderint. Liceat mihi hoc loco sententiam Welckeri [4]) adferre: "Von der Metallarbeit ist es auch abzuleiten, dass Ardalos, der Erfinder des Aulos, dem zu Ehren die Musen selbst Ardalides genannt wurden in Troezen, Sohn des Hephästos hiess nach Pausanias". Accedit quod Vulcanus pater aliorum Cretensium, ut Rhadamanti et Daedali, esse credebatur [5]). Denique Methanae, quod oppidum in agro

[1]) Müller Dorier I: 345.

[2]) De cultu Musarum in Creta celebrato cfr Strabo X: 468.

[3]) Strabo X: 472. Cfr Hoeck Kreta I: 222.

[4]) Welcker Gr. Götterl. II: 689.

[5]) Paus. VIII: 53, 5. Cfr Gerh. Gr. Myth. I: 423.

Troezenio situm erat, Vulcanus colebatur, id quod demonstrant nummi aetate imperatorum signati, qui caput Vulcani incusum habent.

MERCURIUS.

TROEZENE.

Paus. II: 31, 10. Καὶ Ἑρμῆς ἐνταῦθά ἐστι Πολύγιος καλούμενος· πρὸς τούτῳ τῷ ἀγάλματι τὸ ῥόπαλον θεῖναί φασιν Ἡρακλέα.

HERMIONAE.

Nummi: Mercurius stans (Imh.-Blum., Gardn. Num. Comm. of Paus.: Herm.).

E Pausania cognoscitur signum Mercurii Πολυγίου Troezene positum fuisse. Quod cognomen quid valeat, non satis constat. Sunt, qui verbum Πολύγιος idem esse atque Πολύγυιος censeant ad vigorem atque pernicitatem Mercurii illud referentes. Quae opinio reicienda esse videtur. Nullo enim modo explicari potest, qua de causa vox quae est Πολύγυιος in Πολύγιος mutata sit. Alii censent hoc cognomen e πολὺ et γία compositum esse; γία autem nihil aliud esse quam ἴα = ἄνθη; Πολύγιος igitur idem valere atque Πολυάνθης.

Ad id simulacrum Mercurii fabula obtinebat Herculem clavam deposuisse. Mercurius et Hercules persaepe, praesertim posterioribus temporibus, religione iunguntur. Tum praecipue dii tutelares palaestrarum erant, quo pertinent plerique tituli, qui illis diis communiter dedicati sunt.

Itaque quaestio oritur, sitne ea societas Mercurii et Herculis, quam fabula Troezenia nobis ante oculos proponit ad palaestram referenda, ut statuit Welcker[1]) Πολύγιος idem fuisse atque Πολύγυιος existimans. Quae opinio an non vera sit, dubito. Primum enim tenendum est hoc loco nullius palaestrae mentionem fieri. Quod si non ita multum valet ad opinionem Welckeri refutandam, illud

[1]) Welcker Gr. Götterl. II: 451.

monere velim iam ante palaestricam rationem constitutam Mercurium cum Hercule in fabulis iungi. In vasis pictis Mercurius una cum Minerva Herculi persaepe adstat [1]). Ea, quae Pausanias de Mercurio Πολυγίῳ et Hercule commemorat, sine dubio ad aliquam rerum ab Hercule gestarum spectant, qua perfecta Hercules ad signum dei tutelaris clavam deposuisse credebatur.

Hermionae nulla sacra Mercurii neque apud scriptores neque in titulis reperiuntur. At eius cultum ibi exstitisse docent nummi aetate imperatorum signati. Quod quidem mirandum esse non videtur, cum Ἑρμῆς cum nomine Hermionae cohaerere probabile sit, et Homerus Mercurium cum Dryopibus, incolis Hermionae, componere videatur [2]).

BACCHUS.

TROEZENE.

Paus. II: 31, 2. Ἐν τούτῳ δέ εἰσι τῷ ναῷ βωμοὶ θεῶν τῶν λεγομένων ὑπὸ γῆν ἄρχειν καί φασιν ἐξ Ἅιδου Σεμέλην τε ὑπὸ Διονύσου κομισθῆναι ταύτῃ κτλ.

Paus. II: 31, 5. Εἰσὶ δὲ οὐ μακρὰν τῆς Λυκείας Ἀρτέμιδος βωμοὶ διεστηκότες οὐ πολὺ ἀπ' ἀλλήλων. ὁ μὲν πρῶτός ἐστιν αὐτῶν Διονύσου κατὰ δή τι μάντευμα ἐπίκλησιν Σαώτου, δεύτερος δὲ Θεμίδων ὀνομαζόμενος.

HERMIONAE.

Paus. II: 35, 1. Πλησίον δὲ αὐτοῦ Διονύσου ναὸς Μελαναίγιδος· τούτῳ μουσικῆς ἀγῶνα κατὰ ἔτος ἕκαστον ἄγουσι, καὶ ἁμίλλης κολύμβου καὶ πλοίων τιθέασιν ἆθλα.

Nummi: Bacchus stans, cantharum et scipionem tenens (Imh.-Blum., Gardn. Num. Comm. of Paus.: Herm.).

---

[1]) Ne alia commemorem, delego ad Gerhard Auserl. Vasenb. II: 97, 131, 148. Monum. dell' Inst. III: 46.

[2]) Hom. Hymn. in Pana 32.

EPIDAURI.

Paus. II: 29, 1. Ναοὶ δὲ ἐν τῇ πόλει καὶ Διονύσου καὶ Ἀρτέμιδός ἐστιν ἄλλος.

C. I. G. 1177. Εἰρε[ὺς Καλ]λίμαχος Βρομίῳ ἱδρύσατο βωμόν. Διονύσου (inter rudera Aesculapii).

Ut testatur Pausanias, Bacchus Σαώτης a Troezeniis colebatur, qui deus Lernae quoque reperitur [1]).

De societate Bacchi et Dianae iam supra disserui.

Troezene iuxta aram Bacchi Themidum ara exstructa erat, unde concludi licet inter Bacchum Themidasque societatem quandam fuisse. Neque aliter Tanagrae templum Bacchi iuxta templum Themidis positum erat [2]).

In templo Dianae Σωτείρας diis inferis arae exstructae erant, quo quidem ipso loco Bacchus credebatur Semelam ex inferis reduxisse. Eadem fabula apud Lernam reperitur [3]). Neque aliter feriis Delphicis reductio Semelae celebrabatur [4]). In templo Apollinis Cyziceni eadem fabula opere sculpto efficta erat [5]).

Adfinis fuisse videtur ea fabula, qua Proserpina ex inferis reducitur, quae fabula feriis Atheniensium, quae Anthesteria appellabantur, celebrabatur atque in permultis vasis pictis exponitur.

Hermionae cultus Bacchi Μελαναίγιδος invenitur. Idem cognomen Baccho ab Atheniensibus inditum erat [6]). Μελάναιγις viris doctis ad pellem hircinam spectare videtur, qua in vasis pictis et in operibus sculptis Bacchus amictus esse solet [7]). Conferri potest Bacchus Αἰγοβόλος, qui Potniis, in oppido Boeotiae [8]), colebatur.

Ut testatur Pausanias, Hermionenses in honorem

---

1) Paus. II: 37, 2.

2) Paus. IX: 22, 1. Cfr Paus. III: 22, 2 (in Laconia).

3) Paus. II: 37, 5.

4) Plut. Qu. Gr. 12.

5) Epigr. Cyzic. I: ματέρα θυρσοχαρῆς ἀνάγει γόνος ἐξ Ἀχέροντος.

6) Suidas v. Μελάναιγις, Ἀπατούρια, Schol. Arist. Acharn. 146.

7) Welcker Satyrspiel 200 ss. Gerhard Gr. Myth. I: 487.

8) Paus. IX: 8, 1.

Bacchi Μελαναίγιδος ludos edebant, quibus urinatores certabant et certamina musica atque navalia celebrabantur. Quod in honorem eius musica certamina habebantur, non est cur miremur; nam e pompis Baccheis dithyrambum, tragoediam, comoediam profecta esse inter omnes constat: sed quaeritur, cur urinatoribus navibusque certatum fuerit, nam certe deus tutelaris maris nautarumque Bacchus non erat. Ni fallor, illis caerimoniis subest fabula Bacchea, quae ad res illius generis spectat. Quam opinor illam fabulam esse, quae de Baccho et praedonibus Tyrrhenis narrabatur. Eam fabulam iam Homerus[1]) cognitam habuit, exponit eam vas pictum satis antiquum[2]). Item in monumento Lysicratis, quod Athenis in via tripodum exstructum erat, opera sculpta hanc fabulam celebrabant. Narratur in hunc fere modum. Bacchus cum a praedonibus Tyrrhenis interceptus esset, in navem eorum deductus est. Iam in eo erat, ut deum vinculis constringerent, cum miraculum factum est. Vincula e manibus pedibusque dei decidunt, hedera malum cingit, vitis vela. Bacchus in leonem mutatur, in delphinos praedones, qui in mare desiliunt. Hanc fere formam fabulae praebent Homerus et vas pictum, quod supra commemoravi.

Probabile est illam fabulam materiem praebuisse ludis, quales ab Hermionensibus celebrabantur. Graeci cum in honorem dei cuiusvis ferias celebrarent, res ab illo deo gestas exponere solebant, id quod cum in aliis diis tum in Baccho factum esse nemo ignorat, quicumque originem tragoediae vel levissime tractavit. Nihil igitur impedit, quominus putemus certamina urinatorum naviumque, quae apud Hermionenses in honorem Bacchi habebantur, ideo instituta esse, ut fabula, quae de Baccho et praedonibus in delphinos mutatis erat, exponeretur.

Ubi ea fabula exstiterit, difficile est dictu. Athenienses eam cognitam habuisse cernitur e monumento Lysicratis. Ad Atticam eam pertinere etiam inde concludi potest, quod nonnulli scriptores narrant Bacchum a praedonibus

---

[1]) Hom. Hymn. in Bacchum.

[2]) Gerhard Auserl. Vasenb. I: 49.

interceptum esse, cum ab Icaro i. e. ex Attica Naxum proficisceretur. Intellegimus igitur Hermionensibus cum Atheniensibus ut cultum Bacchi Μελαναίγιδος, ita fabulam de Baccho praedonibusque communem fuisse.

CERES ET PROSERPINA, CLYMENUS.

TROEZENE.

Paus. II: 32, 8. Ὑπὲρ δὲ τοῦ Ποσειδῶνος τὸν ναόν ἐστι Δημήτηρ Θεσμοφόρος, Ἀλθήπου, καθὰ λέγουσιν, ἱδρυσαμένου.

HERMIONAE.

Paus. II: 34, 6. Ἔστι δὲ Εἰλεοὶ χωρίον, ἐν δὲ αὐτῷ Δήμητρος καὶ Κόρης τῆς Δήμητρος ἱερά. Τὰ δὲ πρὸς θάλασσαν ἐν ὅροις τῆς Ἑρμιονίδος ἱερὸν Δήμητρός ἐστιν ἐπίκλησιν Θερμασίας.

Paus. II: 34, 8. Ἐν Βουπόρθμῳ δὲ πεποίηται μὲν ἱερὸν Δήμητρος καὶ τῆς παιδός, πεποίηται δὲ Ἀθηνᾶς.

Paus. II: 34, 10. Καὶ Ἡλίῳ ναός, καὶ ἄλλος Χάρισιν, ὁ δὲ Σαράπιδι ᾠκοδόμηται καὶ Ἴσιδι. καὶ περίβολοι μεγάλων λίθων λογάδων εἰσίν· ἐντὸς δέ αὐτῶν ἱερὰ δρῶσιν ἀπόρρητα Δήμητρι.

Paus. II: 34, 12. Δήμητρος δὲ ἱερὰ πεποίηται Θερμασίας, τὸ μὲν ἐπὶ τοῖς πρὸς τὴν Τροιζηνίαν ὅροις, ὡς ἐστὶν εἰρημένον ἤδη μοι, τὸ δὲ καὶ ἐν αὐτῇ τῇ πόλει.

Paus. II: 35, 4—8. Τὸ δὲ λόγου μάλιστα ἄξιον ἱερὸν Δήμητρός ἐστιν ἐπὶ τοῦ Πρωνός, κτλ.

Paus. II: 36, 3. Χορίον δὲ ἕτερον, ὃ Διδύμους ὀνομάζουσι, στάδια εἴκοσιν αὐτόθεν ἀφέστηκεν. ἐνταῦθα ἔστι μὲν ἱερὸν Ἀπόλλωνος, ἔστι δὲ Ποσειδῶνος, ἐπὶ δὲ αὐτοῖς Δήμητρος.

C. I. G. 1196. Ἀριστοφάνης Εὐμάριχος Αἰσχιόνα τᾷ Δάματρι Ἑρμιονεῖς.

C. I. G. 1197. Ἁ πόλις τῶν Ἑρμιονέων Νῖκιν Ἀνδρωνίδα Δάματρι, Κλυμένῳ, Κόρᾳ.

C. I. G. 1198. Ξενότιμος Πολυκλέος Δάματρι Χθονίᾳ, Διὶ Ἀσκλαπιῷ.

Cfr C. I. G. 1199.

Roehl, Inscr. Antiqu. 47. Ἀλεξίας Λύωνος ἀνέθηκε τᾷ Δάματρι τᾷ Χθονίᾳ Ἑρμιονεύς.

Cfr Roehl, Inscr. Antiqu. 48.

Aelian. Nat. anim. XI, 4. Τὴν Δήμητρα Ἑρμιονεῖς σέβουσι, καὶ θύουσιν αὐτῇ μεγαλοπρεπῶς τε καὶ σοβαρῶς, καί τὴν ἑορτὴν Χθόνια καλοῦσι. μεγίστας γοῦν ἀκούω βοῦς ὑπὸ τῆς ἱερείας τῆς Δήμητρος ἄγεσθαί τε πρὸς τὸν βωμὸν ἐκ τῆς ἀγέλης καὶ θύειν ἑαυτὰς παρέχειν. καὶ οἷς λέγω μάρτυς Ἀριστοκλῆς, ὅς πού φησι·

Δάματερ πολύκαρπε, σὺ κὴν Σικελοῖσιν ἐναργὴς
  καὶ παρ' Ἐρεχθείδαις. ἓν δέ τι τοῦτο μέγα
κρίνετ' ἐν Ἑρμιονεῦσι· τὸν ἐξ ἀγέλης γὰρ ἀφειδῆ
  ταῦρον, ὃν οὐ χειροῖντ' ἀνέρες οὐ δὲ δέκα,
τοῦτον γραῦς στείχουσα μόνα μόνον οὔατος ἕλκει
  τόνδ' ἐπὶ βωμόν, ὃ δ' ὡς ματέρι παῖς ἕπεται.
σὸν τόδε, Δάματερ, σὸν τὸ σθένος· ἵλαος εἴης,
  καὶ πάντως θάλλοι κλᾶρος ἐν Ἑρμιόνῃ.

Athenaeus XIV: 624 E. Δάματρα μέλπω Κόραν τε Κλυμένοιο ἄλοχον Μελίβοιαν.

Cfr Hephaest. p. 31.

Nummi: Caput Cereris corona redimitum.
Bos, quem reste agit victimarius.
(Imh.-Blum., Gardn. Num. Comm. of Paus.: Hermione).

EPIDAURI.

Ἐφ. ἀρχ. 1883 p. 153 (50) Δήμητρος Καρποφόρου. Μηνόδωρος Ἀγα[θοκλέους] πυρο[φορήσας].

Cfr Ἐφ. ἀρχ. 155 (55).

Apud Troezenios cultus Cereris non admodum viguisse videtur. Apud Pausaniam scriptum videmus Cererem Θεσμοφόρον templum habuisse; neque tamen in ipso oppido id templum situm erat. Atque haud scio an nulla res magis indicet, quam exigua ex parte in diis colendis singulae civitates ab aliis, quamvis vicinis, pependerint. Apud Her-

mionenses, vicinos Troezeniorum, Ceres religiosissime colebatur, a Troezeniis sacra eius minus pie observata esse videntur. Ac ne ulla quidem inter Hermionenses Troezeniosque societas sacrorum Cerealium fuisse videtur, nam sacra Cereris Θεσμοφόρου cum aliis civitatibus communia habebant Troezenii. Ea sacra Thebis[1]), Argis[2]), Megarae[3]), unde cultus eius deae Syracusas[4]) translatus esse videtur, Aeginae[5]), in Laconia[6]), Mileti[7]), Ephesi[8]) inveniuntur. Notissimae sunt feriae Atheniensium, quae Θεσμοφόρια appellabantur, quae feriae etiam Halimunte celebrabantur. Quibuscum sacris Cereris cultus Cereris Θεσμοφόρου Troezeniorum cohaerere videtur. Nam cum aliorum sacrorum societatem inter Troezenios Athenienses que intercessisse constat, tum e fabula, quae Anaphlystum et Sphettum in Atticam immigrantes facit, cognoscitur inter eam partem Atticae, quae ad meridiem spectat, Troezenemque frequens commercium fuisse[9]).

Ceres ab Hermionensibus religiosissime colebatur. Quantum scimus, non minus septem templa illi deae in agro Hermionensium exstructa erant. Signum eius in nummis incusum erat, quamdiu civitas libera et sui iuris erat.

Duo templa Ceres Θερμασία habebat, unum in confinio Troezeniorum Hermionensiumque alterum in ipso oppido situm. E. Curtius censet sacra oppidana instituta esse, cum diversae regiones in unum rei publicae corpus coalescerent[10]).

---

1) Eur. Phoen. 681.

2) Her. II: 171.

3) Paus. I: 42, 6.

4) Plut. Dion. 8.

5) Her. VI: 91.

6) Hes. v. Τριήμερον.

7) Steph. Byz. s. v.

8) Her. VI: 16. Bull. de corr. Hell. 1877: 289.

9) Anaphlysti templum Veneri Κωλιάδι exstructum erat, cuius cultum cum sacris Cereris Θεσμοφόρου et Proserpinae, quae Halimunte colebantur, artissime coniunctum fuisse monet Bursian Geogr. von Griechenl. I: 361.

10) E. Curtius Peloponn. II: 459.

Quae opinio ita mihi vera esse videtur, si iudicamus sacra Cereris Θερμασίας e finibus in oppidum translata esse. Neque tamen ideo necesse est illuc confugere, ut συνοικισμὸν quendam statuamus. In comparationem vocari potest cultus Aesculapii Epidauriorum. Qui deus ipse quoque duo templa habebat, unum in ipso oppido, alterum in Aesculapio. Sine dubio Aesculapius prius in luco Aesculapii colebatur quam in oppido. At nemini in mentem venit illam translationem sacrorum ad συνοικισμὸν referre.

Ceres Θερμασία cognomen accepisse videtur a fontibus tepidis, iuxta quos templum eius positum erat. Eo igitur Ceres fungitur munere, quod alias Aesculapio tribui solet.

De Cerere cum Neptuno, Apolline, Minerva coniuncta supra verba feci.

Summo cultu atque veneratione fruebatur Ceres Χθονία, quae cum Proserpina et Clymeno coniuncta erat. Clymenus nihil aliud est quam Pluto, ut erat mos Graecorum deo inferorum nomina minus tristia et faustae significationis imponendi [1]). Tria illa numina etiam aliis locis sacra communia habebant. Ut de Proserpina a Plutone rapta nihil dicam, quae fabula multis locis occurrit, commemorare liceat [2]) Proserpinam, Plutonem, Cererem, ad viam Argis Mycenas ducentem itemque Lacedaemone [3]) et ad Pylum [4]) coniunctos fuisse. Quae omnia sacra e Boeotia adducta esse probabile est [5]).

Ceres Χθονία etiam Lacedaemone colebatur. Sacra eius Hermione translata esse censet Pausanias [6]), cui adstipulati sunt Welcker, Odofr. Müller, Preller alii, qui rebus mythologicis investigandis operam dederunt.

Sacra Cereris Χθονίας, quae ab Hermionensibus cole-

---

[1]) Cfr Eubuleus, Polydegmon, Zagreus, Admetus.

[2]) Paus. II: 18, 3.

[3]) Paus. III: 19, 4.

[4]) Strabo VIII: 344.

[5]) Inter Pylum Boeotiamque commercium sacrorum fuisse e fabula Nelei cognovimus. De Lacedaemoniorum cum Boeotiis communibus sacris vide infra.

[6]) Paus. III: 14, 5.

batur, ab antiquissimis temporibus oriunda et in religionibus Hermionensium altissimis, ut ita dicam, radicibus defixa esse videntur, ita ut originem eorum ad Dryopes, conditores Hermionae, referendam esse censuerint viri docti. Cui opinioni equidem non adversari velim; sed meum est sacris, quae inter se similitudinem quandam habeant, collectis atque collatis commercium sacrorum, quod inter diversas partes Graeciae exstabat, demonstrare.

Ut iam monui, Ceres cum Clymeno Hermionae iungebatur. Clymenum deum inferorum fuisse inter omnes constat; sed oritur quaestio, num Clymenus alibi inveniatur. In fabulis Orchomeneis Clymenum quendam reperimus, filium vel nepotem Orchomeni avumque Trophonii. Trophonius autem ad deos inferos pertinet [1]). Iuppiter Τροφώνιος Lebadeae [2]) una cum Hercynna colebatur, quam a Proserpina diversam non fuisse monet Welcker [3]). In luco Trophonii templa exstructa erant Cereri, Proserpinae, Iovi Βασιλεῖ, quem eundem fuisse atque Plutonem inter viros doctos convenit. Intellegimus igitur Clymenum, si non ipse deus inferorum fuerit, tamen cum illis diis per Trophonium coniunctum fuisse.

In fabulis, quae de Neleo eiusque filiis ferebantur, Clymenum vel Periclymenum invenimus [4]). Pater eius erat Neleus, qui idem atque Pluto esse putatur, mater Chloris erat, quam a Proserpina diversam non fuisse verisimile est. Plinius docet Chlorim una cum Cerere et Triptolemo a Praxitele positam esse [5]). Ut tradit Pausanias, Chloris, quae ab Argivis colebatur, etiam Meliboea appellata est [6]). Meliboea autem quam similis fuerit Proserpinae, infra demonstrabo.

---

[1]) Cfr Cic. N. D. III: 22, Arnob. IV: 14.

[2]) Paus. IX: 39, 5. Cfr Str. IX: 414.

[3]) Welcker Gr. Götterl. II: 489. Cfr Lycophron 152.

[4]) Probabile est ea, quae de Plutone Il. V: 395 ss. narrantur, iam a veteribus Periclymeno addita esse. Cfr Preller-Plew Gr. Myth. II: 240.

[5]) Plin. 36, 5, 23.

[6]) Paus. II: 21, 9.

Clymenus igitur in illis fabulis cum diis inferis coniunctus esse videtur, id quod demonstrat Clymenum, qui ab Hermionensibus tamquam deus colebatur, eundem fuisse atque eum Clymenum, qui fabulis Boeotiorum aliorumque celebrabatur.

Ut igitur nomen Clymeni ad Boeotiam delegare videtur, ita nomen, quod Proserpinae imponitur, ad Thessaliam Boeotiamque pertinet. Lasus poeta Hermionensis canit: Δάματρα μέλπω Κόραν τε Κλυμένοιο ἄλοχον Μελίβοιαν. Nomen igitur Meliboeae Proserpinae imponitur, quod nomen in Thessalia reperitur. Eodem nomine erat oppidum Thessaliae, quod a Meliboea, uxore Magnetis, conditum esse traditur.

Nomen, quod Meliboeae adfine esse videtur, est Polyboea, quod sorori Hyacinthi inditum erat. Is cum Apolline Καρνείῳ a Lacedaemoniis iungitur, quem deum e Boeotia oriundum fuisse monet Odofr. Müller [1]). Hyacinthus autem cum Cerere connectitur. Flos, qui nomine eius appellabatur, in sacris Cerealibus plerumque usurpabatur [2]); feriis, quae in honorem Cereris Χθονίας ab Hermionensibus celebrabantur, pueri procedebant coronis redimiti e flore contextis, quem Hermionenses Cosmosandalum appellabant. Et dicit Pausanias illum florem hyacinthum fuisse.

In ea ara, quae Amyclis Hyacintho posita erat, Ceres, Proserpina, Pluto, Bacchus, Semele, Ino opere sculpto effícti erant, qui dei nos ad Boeotiam deducunt. Hyacinthus sororque eius Polyboea et ipsi in eadem ara expositi erant. Videmus igitur Polyboeam cum diis inferis componi; neque a vero aberrare videtur Odofr. Müller [3]), qui Polyboeam eandem esse censet atque Proserpinam. Fieri etiam potest, ut Hyacinthus et Polyboea, sicut Admetus et Alcestis (quae fabulae similitudinem quandam habent) re vera nihil aliud significent quam deos inferos, qui postea a Graecis Pluto et Proserpina appellabantur.

---

[1]) Müller Orchomenos 327.

[2]) Cfr Müller Dorier I: 354.

[3]) Müller Dorier I: 354 ss.

Ea, quae leviter perstringens iam attuli, sufficere mihi videntur ad demonstrandum Clymenum et Proserpinam Hermionensium e Boeotia (vel Thessalia) profectos esse. Quomodo dei ex hominibus facti sint, qua via Hermionam profecti, haec subtilioribus quaestionibus reservanda esse censeo.

Ut igitur putemus oportet Cererem Χθονίαν deam gentilem atque tutelarem Dryopum fuisse, ita facilis coniectura est Dryopes Clymenum et Proserpinam, quae numina Cereri adiuncta erant [1]), olim a vicinis Minyis accepisse, cum ad fines Boeotiae habitarent.

In titulo Hermionico Ceres Χθονία cum Aesculapio iungitur, quem deum Hermionae cultum fuisse neque Pausanias neque quisquam alius scriptor antiquus commemorat. Nihil tamen causae est, quin existimemus in luco Cereris Χθονίας templum vel signum Aesculapii positum fuisse. Ea consociatio Cereris et Aesculapii rarissime nobis occurrit. Quaerenti mihi, quomodo illa numina convenerint, liceat coniecturam proponere. In fabulis Minyarum, quibus Clymenus celebrabatur, nomen Ascalaphi invenimus, quem eundem atque Aesculapium esse inter omnes constat. Is abnepos Clymeni fuisse traditur. Cum igitur videamus in Boeotia Clymenum et Aesculapium quodammodo consociatos fuisse, quid obstat, quominus putemus Dryopes ut Clymenum Proserpinamque, ita Aesculapium a Minyis (vel Phlegyis) accepisse eosque Cereri adiunxisse? Accedit quod in Boeotia Trophonius colebatur. Inter eum et Aesculapium tanta similitudo intercedit, ut Odofr. Müller, ut mihi quidem videtur, recte Trophonium eundem fuisse atque Aesculapium contenderit [2]). Trophonius vero Lebadeae cum Cerere et Proserpina artissimis vinculis connexus erat. Proserpina nomine Hercynnae pro uxore eius habebatur, Ceres nutrix eius fuisse credebatur [3]). Quae res mihi videtur aliqua

---

[1]) Societatem Cereris cum Proserpina non inde ab antiquissimis temporibus exstitisse contendit Preller-Demeter p. 6.

[2]) Müller Orchomenos 201.

[3]) Paus IX: 39, 5.

ex parte effecisse, ut Dryopes Cereri suae Aesculapium adiungerent. Nomen Iovis Ἀσκληπιοῦ, quod titulus Hermionicus praebet, cum Iove Τροφωνίῳ optime concinit.

In honorem Cereris Χθονίας ab Hermionensibus feriae celebrabantur, quae Χθόνια appellabantur, de quorum caerimoniis Pausanias nos certiores facit. Quae mihi maxime digna commemoratu esse videntur, adferam. In extremo agmine pompae procedebant ei, qui eximios boves vinculis detentos et reluctantes trahebant. Eo spectat signum illud nummorum Hermionicorum: victimarius bovem reste trahens. Cum ad templum advenissent, unum bovem vinculis solutum intro agebant. Occlusis foribus bovem exceptum aniculae quattuor occidebant. Cum Pausania consentire videtur Aelianus, qui ipse quoque illas ferias describit. Versus, qui ab eo adferuntur, multa supra modum aucta habere videntur; probabile est eos aetati posteriori attribuendos esse, cum doctrinam Alexandrinam redoleant [1]).

H. D. Müller cum illis caerimoniis contulit ea, quae de Ione et Argo scripsit Apollodorus [2]): οὗτος ἐκ τῆς ἐλαίας ἐδέσμευεν αὐτὴν ἥτις ἐν τῷ Μυκηναίων ὑπῆρχεν ἄλσει, quae verba ille scriptor de feriis aestivis, quas Argivi antiquitus agebant, dicta esse censet. Quae res mihi valde incerta videtur. Nam etiamsi concedamus verba Apollodori ad illas ferias esse referenda (qua de re dubitari potest) ea, quae de illis feriis comperta habemus, tam exigua sunt, ut in comparationem vocari non possint. Bos enim vinculis constrictus una est similitudo, quae inter duas ferias intercedit. Potius crediderim inter Χθόνια Hermionensium et Ταυροκαθάψια Thessalorum necessitudinem quandam olim fuisse. De ea tamen re nihil certi enuntiari potest.

Cererem ab Epidauriis cultam fuisse non compertum erat, antequam in luco Aesculapii titulus erutus est, quem supra attuli. Qui titulus id tantum docet Cererem Καρποφόρον ab Epidauriis cultam fuisse. Idem cognomen Ceres

---

[1]) Cfr Kalkmann Pausanias der Perieget 147.

[2]) Apollod. II: 1, 3, 4.

et Proserpina Tegeae habebant [1]). Intima autem ratione Cererem cum Aesculapio Epidauriorum connexam fuisse patet e titulo eodem loco abhinc paucos annos reperto [2]).

[Ζ]ηνὶ καὶ Ἡελίῳ [κ]αὶ πᾶσιν ἀειγενέεσσιν [ὀ]λβοδόταις καὶ [ἐ]λευθερίοις καὶ λυσιπόνοισιν ἱεροφάντης εἶσ', ὁσίῃ θεοπειθέι γαίων Διογένης, Δηοῦς πρόπολος, Παιήονος ἱερεύς.

Recte monet Kabbadias [3]) Δηὼ et Παιήονα a Cerere et Aesculapio diversos non fuisse. Cum igitur videamus sacra et Cereris et Aesculapii per unum eundemque sacerdotem curata esse, licet inde colligere inter illas religiones necessitudinem intercessisse. Cui rei convenit, quod in ruderibus Aesculapii Atheniensium lamina anaglypha ad illud templum inventa est, ubi Aesculapius cum Cerere et Proserpina coniungitur. Neque aliter Eleusine societas Aesculapii cum Cerere fuisse videtur. De illis diis Hermionae consociatis supra disserui [4]).

AESCULAPIUS.

TROEZENE.

Paus. II: 34, 4. Τοῦ δὲ Ἀσκληπιοῦ τὸ ἄγαλμα ἐποίησε μὲν Τιμόθεος, Τροιζήνιοι δὲ οὐκ Ἀσκληπιὸν ἀλλὰ εἰκόνα Ἱππολύτου φασὶν εἶναι.

Ἐφ. ἀρχ. 1885 p. 1 ss. (80: 3). Ἀριστ[αγόρα Τροζ]ανία. αὔτα ἕλμιθα ἔχουσα ἐν τᾶι κοιλίαι ἐνεκάθευδε ἐν Τροζ[ᾶνι ἐν τῶι] τοῦ Ἀσκλαπιοῦ τεμένει κτλ.

---

[1]) Paus. VIII: 53, 7.

[2]) Ἐφ. ἀρχ. 1883 p. 25.

[3]) l. c. Apud Preller-Robert Gr. Myth. 277 n. 2 Παιήων, qui hoc titulo commemoratur, ab Aesculapio diversus esse videtur. At tamen hoc loco nomine Παιήων Aesculapium significari docent tituli Ἐφ. ἀρχ. 1883 p. 147—150 (37—42).

[4]) Considerantibus nobis Tegeae et Cererem et Proserpinam Καρποφόρους vocatas esse et Athenis in Aesculapio duas illas deas cum Aesculapio coniunctas fuisse specie quadam veritatis ea opinio commendari videtur in Aesculapio Epidauriorum Proserpinam una cum Cerere cultam fuisse. Quam opinionem confirmant verba tituli in luco Aesculapii reperti (Ἐφ. ἀρχ. 1883 p. 227 ss.): θῦσαι Ἀσκληπιῷ, Ἠπιόνῃ, Ἐλευσεινίαις.

Nummi: statua Aesculapii a specie solita non discrepans (Imh.-Blum. Gardner Num. Comm. of Paus.: Troiz.).

HERMIONAE.

C. I. G. 1198. Ξενότιμος Πολυκλέος Δάματρι Χθονίᾳ, Διὶ Ἀσκλαπιῷ.

EPIDAURI.

Paus. II: 26, 3—27, 5. II: 29, 1.
Ἐφ. ἀρχ. 1883 p. 31 (13) Ἀπόλλωνι Ἀσκλαπιῶ Κλαυδιανός.
p. 32 (14) . . . Ἀπόλλωνι καὶ Ἀσκλαπιῶι.
p. 88 (24) Ἀσκληπιῶ Κλυτομήτιδ[ι] Ἀφρικανὸς ὁ ἱερεὺς τὸ β'.
p. 89 (28) Ἀσκληπιῶ Ὀρθίω Διονύσιος.
p. 91 (32) . . . ἀγωνοθετήσαντα ὅτι ἀγαθῶς Ἀπολλωνεῖα καὶ Ἀσκλαπιεῖα [καὶ] Καισαρῆα ἀρετᾶς ἕνεκα.

Ibid. p. 150 (42) Ἀσκληπιῶ Σωτῆρι ὁ ἱερεὺς Διογένης.

Ibid. p. 150 (44) Ἀσκληπιῶ Εὐκόλω Φίλιππος.

Ibid. p. 156 (56) Π. Αἴλιος Διονυσίου Ἀντίοχος ἱεραπολήσας Ἀσκληπιῶ καὶ τοῖς ἐν τῶ Ἀνακείω θεοῖς.

Ibid. p. 156 (57) Ἱεροκλῆς Ἀφροδεισίου ἱερεὺς τοῦ Σωτῆρος Ἀσκληπιοῦ Πανθείω κατ' ὄναρ.

Ibid. p. 237 (61) Ἀγαθὴ [τύχη]. Τιβ. ΚΛ. Σευῆρος Σινωπεὺς Ἀπόλλωνι Μαλεάτα καὶ Σωτῆρι Ἀσκληπιῶ κτλ.

Ἐφ. ἀρχ. 1884 p. 21 (62) Ἀσκληπιῶι Αιγεώτηι ὁ ἱεροφάντης καὶ ἱερεὺς τοῦ Σωτῆρος Μνασέας Ἑρμιονεὺς κατ' ὄναρ.

Ibid. p. 23 (63) Ἀσκλ[ηπιῶ] Ὑγιε[ία] Τελεσφόροις Παυταλιώταις Ἡρακλιανὸς ὁ ἱερεύς.

Ib. p. 23 (65) . . . Διὶ Ἀσκληπιῶ.

Ἐφ. ἀρχ. 1883 p. 149 (40) Ὑγιεία Σωτείρα ὁ ἱερεὺς Διογένης.

Ibid. p. 91 (33) Τελεσφόρωι.

Ibid. p. 149 (39) Τελ[εσφό]ρωι Σω[τῆ]ρι ὁ ἱερ[εὺς] Διογένης.

Ibid. p. 151 (47) Ἱερεὺς Στατείλιος Σεκοῦνδος Ἀσκληπιοῦ παισίν.

Nobilissima sedes religionum Aesculapii Epidaurus erat. Eo confluebant praecipue temporibus Alexandrinorum Romanorumque undique terrarum innumerabiles homines, ut salutem recuperarent. Famam atque existimationem Aesculapii Epidauriorum testantur et scriptores antiqui et tituli, qui abhinc paucis annis ibi eruti sunt. Quorum aliqua supra attuli, quae ad id quod proposui aptissima esse videntur.

De origine Aesculapii et cultu eius Epidaurum translato praeclare et copiose disseruit Wilamowitz-Möllendorff in libro, qui "Isyllos von Epidauros" inscribitur, ad quem, cum de ea re disputare plane supervacaneum sit, delego.

Religione Aesculapius Epidauriorum cum Apolline tamquam filius cum patre iungitur. Atque tam arta erat societas eorum, ut interdum in unum coalescere videantur, ut videmus eodem fere tempore, quo Apollo et Aesculapius secernuntur, nomen Aesculapii tamquam cognomen Apollini imponi.

In inscriptionibus Epidauriis permulta cognomina Aesculapii inveniuntur, quae nusquam alibi illi deo tribuuntur. Nonnulla eorum nulla alia causa imposita esse videntur, quam ut benefacta dei laudibus extollerentur, ut Κλυτομῆτις, Εὔκολος, Ὄρθιος. Animo eius, qui deum Κλυτομήτιδα appellavit, versus aliquis epicus obversatus esse videtur. At tamen Aesculapio id cognomen nisi hoc loco nusquam inditum invenimus. Neque aliter Εὔκολος hoc tantum loco Aesculapius appellatur. Εὔκολος cognomen est Mercurii, ut testatur Hesychius [1]). Ὄρθιος Aesculapius nullo alio loco vocatur. Diana autem Ὀρθία multis locis reperitur, ut Lacedaemone, Megarae, Athenis, in monte Lycone, in Elide. Quod cognomen alii aliter interpretantur; equidem adducor ut iis astipuler, qui hoc cognomine Dianam significatam volunt, quae aegrotos homines suble-

[1]) Hesych. Εὔκολος· εὐχερής· καὶ Ἑρμῆς παρὰ Μεταποντίοις.

vet et e morbo quasi erigat. Quo munere cum fungatur, inter Dianam Ὀρθίαν et Εἰλείθυιαν necessitudinem intercedere oportet, sicut invenimus Lacedaemone templa utriusque deae inter se vicina fuisse [1]). Quae erat in Aesculapio Epidauriorum societas Aesculapii Dianaeque, non est mirandum, quod cognomen Dianae Aesculapio impositum est.

Cognomina Παυταλιῶται (Aesculapio et Hygieae imposita) et Αἰγεώτης a locis quibusdam repetenda esse opinatur Kabbadias [2]). Quod autem is coniectat verbum Αἰγεώτης ad nomen arcis, quae nunc Αἰγουριὸ appellatur, spectare, minime verisimile esse videtur. Παυταλιώτης cum Pautalia, oppido et regione Thraciae, a Kabbadia componitur.

E verbis ἱερεὺς τοῦ Σωτῆρος Ἀσκληπιοῦ facile credideris, Aesculapium Σωτῆρα proprium sacerdotem habuisse eiusque sacra a sacris eius Aesculapii, cuius Aesculapium sacrum erat, seiuncta fuisse. Quod non recte dici docet inscriptio Epidauria, ubi Apollo Μαλεάτης cum Aesculapio coniungitur. Cum enim in aliis titulis idem Apollo cum Aesculapio tantum componatur, sequitur Aesculapium et Aesculapium Σωτῆρα unum eundemque deum fuisse. Cognomen igitur Σωτήρ, ut Κλυτομῆτις, Εὔκολος, Ὄρθιος eo tantum spectasse videtur, ut gloria dei exornaretur atque amplificaretur. Praeterea videmus deum interdum solo vocabulo Σωτὴρ appellatum esse, qua re eorum opinio confirmatur, qui censent nomina deorum a cognominibus nonnumquam oriunda esse [3]).

Idem cognomen Apollini, Hygieae, Telesphoro impositum invenimus.

Iovem Ἀσκληπιὸν in Aesculapio cultum habuisse docemur titulo ibi reperto. Qui deus etiam Hermionae co-

---

[1]) Cfr Roscher Lex. d. Gr. Röm. Myth. 572.

[2]) Ἐφ. ἀρχ. 1884 p. 22.

[3]) Cfr Baunack Studien I: 1, 155.

lebatur. Comparari possunt Iuppiter Τροφώνιος [1]), Iuppiter Παιάν [2]), cuius sacra Rhodi inveniuntur.

Una cum Aesculapio tamquam uxor iungitur Epiona, cuius simulacrum et in Aesculapio et in ipso oppido positum erat. Scriptores antiqui mentionem eius raro faciunt. Schol. Hom. scribit: Μαχάων υἱὸς Ἀσκληπιοῦ καὶ . . . κατὰ δέ τινας Ἠπιόνης τῆς Μέροπος. Nomen Meropis cum insula Coo artissime coniunctum est, quae insula Μεροπὶς vocabatur incolaeque Μέροπες [3]). Cum constet et Epidaurum et Coum e Thessalia sacra Aesculapii accepisse, facile conieceris iam inde a principio Aesculapium cum Epiona consociatum fuisse. Quod si quis miretur, quod praeter illos locos cultus Epionae non invenitur, cum cultus Aesculapii longe lateque propagatus sit, monere velim Epionam ab Hygiea obscuratam esse videri, quae dea temporibus non admodum antiquis in lucem prolata postquam cum Aesculapio consociata erat, brevi famam et venerationem amplissimam adepta est.

Hygieam Athenis oriundam esse verisimile est. Ibi cognovimus eius deae primam mentionem [4]) factam esse in carminibus sacris, quorum nonnulla usque ad aetatem nostram servata sunt. Quibus in carminibus Hygiea cum Aesculapio nondum iungitur. In carmine Licymnii cum Apolline consociata est [5]). Athenis sacra eius Epidaurum translata sunt neque tamen in Aesculapio Epidauriorum Hygiea tanta veneratione culta esse videtur, quanta Athenienses eam prosequebantur. Tituli Attici ad eam pertinentes paene innumerabiles sunt; in Aesculapio Epidauriorum tres tantum tituli ad eam spectantes eruti sunt. Cui rei convenit, quod Pausaniae demum aetate Hygieae templum exstructum est.

Neque aliter Telesphorus posterioribus demum temporibus Aesculapio adiunctus esse videtur. Eius cultum

---

1) Str. IX: 414. Liv. XXXXIV: 27.

2) Schol. A.D. ad Il. IV: 195.

3) Hesych. v. Παιάν.

4) Cfr Wilam.-Möllendorff, Isyllos von Epidauros, 192.

5) Sext. adv. eth. 49.

Pergami et in oppidis vicinis floruisse constat. Quae vis huic nomini insit, docti viri inter se dissentiunt. Alii censent Telesphorum dictum esse, quod valetudinem plene cumulateque perficeret, alii [1]) nomen illud ad sacrorum sollemnia spectare censent, quibus Pergami in Aesculapio initiari solebant ii, qui salutem recuperare cupiebant. In titulis Epidauriis verbum illud modo cognominis, modo nominis proprii vice fungitur. Aesculapius enim et Hygiea Τελεσφόροι vocantur in titulo, quem supra attuli; contra in aliis titulis pro deo singulari haberi videtur Telesphorus. Ac mihi quidem consideranti in titulis Epidauriis nullam mysteriorum mentionem fieri verbumque Telesphori tamquam cognomen Aesculapio eiusque filiae additum esse, probabile esse videtur illud nomen ad valetudinem integram et perfectam spectare. Accedit quod Pausanias Telesphorum eundem esse quem Ἄκεσιν censet, cui nomini ipsa vis sanandi inest.

Titulus supra allatus παισὶν Ἀσκλαπιοῦ dedicatus est. Quorum cultus Athenis floruit. Apud Pausaniam [2]) scriptum invenimus: τοῦ δὲ Ἀσκληπιοῦ τὸ ἱερὸν ἔς τε τὰ ἀγάλματά ἐστιν, ὁπόσα τοῦ θεοῦ πεποίηται καὶ τῶν παίδων. Qui dei vel daemones παῖδες Ἀσκληπιοῦ intellegendi sint, cognoscitur e C. I. A III: 171: *b*.

Παῖδα Κορωνίδος, ἤπιον ἀνδράσι, δαίμονα σεμνότα[τον], ἰὴ
Παιάν,
τοῦ δ' ἐγένοντο κό[ρ]οι Ποδαλείριος ἠδὲ Μαχάων Ἕλλη-
[σιν δύ' ἀκέστορε] λόγχης, ἰὴ Παιάν.
ἠδ' Ἰασώ, Ἀκεσώ τε καὶ Αἴγλη καὶ Πανάκεια,
Ἠπιόνης [θύγατρες σὺν] ἀριπρέπτῳ Ὑγιείᾳ, ἰὴ Παιάν.

Cfr. Schol. Ar. Plut. 701: Ἕρμιππος ἐν τῷ πρώτῳ ἰάμβῳ τῶν τριμέτρων Ἀσκληπιοῦ καὶ Λαμπετίας τῆς Ἡλίου λέγει Μαχάονα καὶ Ποδαλείριον καὶ Ἰασὼ καὶ Πανάκειαν καὶ Αἴγλην νεωτάτην [3]).

---

[1]) Cfr Welck. Gr. Götterl. II: 740.

[2]) Paus. I: 21, 4.

[3]) Ei παῖδες Ἀσκληπιοῦ in anaglyphis Athenis repertis repraesen-

Etiam Piraeei eadem numina una cum Aesculapio culta fuisse concludi licet e titulo ibi reperto, qui formulam caerimoniarum continet; quo in titulo Iaso, Aceso, Panacea una cum Maleata, Apolline, Mercurio enumerantur [1]).

Videmus igitur filios filiasque Aesculapii Athenis cultos fuisse; iam inde a IV. saeculo a. Chr. n. Athenienses eos cognitos habuisse verisimile est. Mirum igitur esse videtur, quod Epidauri nullum vestigium cultus eorum ante aetatem imperatoriam Romanam invenitur.

Docet Pausanias Acesim ab Epidauriis cultum fuisse, quo cum testimonio conveniunt ea quae C. I. G. Add. 511 [2]) de Telesphoro dicuntur:

Καὶ σ' Ἐπιδαύρειοι μὲν ἀλεξιχόροισιν ἀοιδαῖς γηθόσυνοι μέλπουσιν, ἄναξ, Ἄκεσιν καλέοντες.

Mirandum est igitur, quod in inscriptionibus Epidauriis eius dei nulla mentio fit.

Non inutile esse videtur adferre, qui sacra Aesculapii curaverint, praesertim cum tituli Epidaurii ex eorum numero nonnullos commemorent. Primum locum obtinebat sacerdos Aesculapii, cuius sacerdotium annuum fuisse ex ea re colligitur, quod ex illis sacerdotiis anni numerabantur; unde efficitur unum tantum fuisse sacerdotem Aesculapii. Praeterea commemorantur πυροφόρος, νακόρος (= νεωκόρος), quorum ministeria notissima sunt. E titulo Epidaurio [3]): Διόδωρος, Νικομένης, Λάκριτος, Ἀρίσταρχος ἱαρομνάμονες ἀνέθηκαν cognovimus Epidaurios eos magistratus, qui Hieromnemones vocantur, habuisse. Quibus magistratibus quamquam testatur Aristoteles tabulas, quibus pacta privatorum vel decreta iudiciorum vel foedera publica litteris mandata erant, curae fuisse, tamen ei Hieromnemones, quorum ministeria ex inscriptionibus cognita habemus, rebus divi-

---

tantur, qua de re ad ea, quae v. Duhn Arch. Zeit. 1877 p. 139 ss. disseruit, delego.

1) Ἐφ. ἀρχ. 1885 p. 80.

2) Qui titulus in Attica repertus est.

2) Ἐφ. ἀρχ. 1883 p. 154 (51).

nis [1]) praefuisse videntur. Quam quidem curam Hieromnemones Epidauriorum ipsos quoque habuisse probabile est.

Illi magistratus numero quattuor erant, cumque constet Epidaurios in quattuor tribus divisos fuisse, non alienum est conicere numerum hieromnemonum cum numero tribuum ita cohaessisse, ut singuli ad singulas tribus pertinuerint.

Iam supra monui in Aesculapio Epidauriorum Cereri cum Aesculapio necessitudinem quandam intercessisse videri. Cui rei documento est titulus a Mnasea Hermionensi dedicatus, quem iam attuli. Quo in titulo Mnaseas et hierophantam et sacerdotem Aesculapii sese appellat. Quantum equidem scio, munus hierophantae nusquam nisi in sacris Cereris invenitur. Hoc loco igitur hierophantes minister Cereris intellegendus est. Animadvertas velim virum Hermoniensem sacerdotium Aesculapii administrasse. Cuius rei ratio fortasse explicari potest, si putamus inter sacra Cereris Epidauriorum Hermionensiumque communem quandam rationem intercessisse. Constat enim utroque loco Cererem Aesculapiumque coniunctos esse.

In titulo Epidaurio Aesculapius et οἱ ἐν Ἀνακείῳ θεοὶ consociantur. Quos deos Dioscuros esse intellegendos patet. Neque aliter eos Lacedaemone [2]) coniunctos invenimus, et haud scio an Eleusine [3]) inter eos necessitudo quaedam intercesserit.

Hermionae Ceres Chtonia et Iuppiter Aesculapius religione iunguntur. Qua de re supra disserui.

Troezene signum Aesculapii fuisse docet Pausanias, qui addit Troezenios eum non Aesculapium, sed Hippolytum esse contendisse. Quod quidem mirum esse videtur, nam effigies Aesculapii, quae in nummis Troezeniis occurrit, a specie usitata Aesculapii non abhorret. Mira quidem res, ad quam explicandam titulus Epidaurius, quem supra

---

[1]) C. I. G. 3794, 5640, 5545. De cura Hieromnemonum C. I. G. 2161 Bull. de corr. Hell. 1879: 467 non liquet.

[2]) Paus. III: 14, 7.

[3]) Xen. Hell. VI: 3, 6. Gell. XI, 6.

attuli, aptissimus esse videtur. Ex eo cernitur Aesculapium Troezene quoque fuisse; atque titulum accuratius examinantibus videntur verba eius id spectasse, ut exponeretur, quanto Aesculapius Epidauriorum Aesculapio Troezenio praestaret, et quantopere Epidaurii illum despicerent. Quid enim potest tali loco maius dedecus esse quam si deus ipse non adest, id quod verbis exponitur: τοῦ θεοῦ οὐκ ἐπιδαμοῦντος αὐτοῦ, ἀλλ' ἐν Ἐπιδαύρωι ἐόντος? Cum igitur constet Epidaurios Aesculapium Troezeniorum irrisui et despectui habuisse, non est cur miremur, Troezenios, qui, ut testatur Pausanias, de rebus suis magnifice et gloriose praedicabant, fastidium Epidauriorum aegre tulisse. Troezeniis necesse erat confiteri sacra Aesculapii Epidauro oriunda esse Epidauriisque esse subiecta. Quae cum ita essent, optimum iis esse videbatur plane negare Aesculapium Troezene coli. Erat autem Troezeniis deus, qui summa ac vetusta religione colebatur, Hippolytus. Eum Aesculapium esse praedicabant gratias Aesculapio debitas ad Hippolytum referentes, praesertim cum inter Hippolytum deosque medicos necessitudo quaedam intercederet.

DAMIA ET AUXESIA. AMAEA ET AZESIA.

TROEZENE.

Paus. II: 32, 2. Ἐς δὲ τὴν Ἀμαίαν καὶ Αὐξησίαν, καὶ γὰρ Τροιζηνίοις μέτεστιν αὐτῶν, οὐ τὸν αὐτὸν λέγουσιν ὃν Ἐπιδαύριοι καὶ Αἰγινῆται λόγον, ἀλλὰ ἀφικέσθαι παρθένους ἐκ Κρήτης· στασιασάντων δὲ ὁμοίως τῶν ἐν τῇ πόλει ἁπάντων καὶ ταύτας φασὶν ὑπὸ τῶν ἀντιστασιωτῶν καταλευσθῆναι, καὶ ἑορτὴν ἄγουσί σφισι Λιθοβόλια ὀνομάζοντες.

Zenobius IV: 20 Ἡ Ἀμαία[1]) τὴν Ἀζησίαν[2]) μετῆλθεν, ἱστορεῖ Δίδυμος, ὅτι Ἀμαία μὲν ἡ Δημήτηρ παρὰ Τροιζηνίοις προσαγορεύεται· Ἀζησία δὲ ἡ Κόρη. ἀπὸ γοῦν τῆς ἱστορίας

---

[1]) MSS. Ἀμέα. Odofr. Müller Δαμία.

[2]) Odofr. Müller Αὐξησίαν.

ἡ παροιμία προήχθη. λέγεται δὲ ἐπὶ τῶν πολυχρονίῳ ζητήσει χρωμένων κτλ.

EPIDAURI.

Herod. V: 82—87.

Le Bas-Foucart Peloponnèse Inscr. 146 *b*. Ὁ ἱερεὺς τοῦ Μαλεάτα Ἀπόλλωνος καὶ θεῶν Ἀζεσίων Δαμίας Αὐξησίας Ποσειδώνιος τὸ ἔτος ΡΠΔ.

Damia et Auxesia a Troezeniis, Epidauriis, Aeginetis colebantur, neque tamen iis finibus sacra earum circumscripta erant. In Laconia cultum earum ultimis antiquitatis temporibus viguisse docent tituli [1]):

Διὶ Ταλετίτᾳ
Καὶ Αὐξη]σίᾳ καὶ Δαμοίᾳ κτλ. et
Δαμοίᾳ ἐπὶ Ἰου(λίου) Χαρι[ξ]έ[ν]ου κτλ.

Grammatici monent illas deas easdem fuisse atque Cererem et Proserpinam, ut solebant veteres numina quae minus cognita erant eadem atque numina usu recepta habere.

Praestabit putare illas deas ab incolis Peloponnesi vetustissima religione cultas fuisse [2]). Recte monet Welcker inter Damiam Auxesiamque atque deas illas Atheniensium, quae Thallo et Auxo vocabantur, similitudinem intercedere. Itemque Ilithyiae adfines esse videntur. Ea fabula, quae narrat Damiam et Auxesiam, cum Athenienses eas abripere vellent, in genu procubuisse, ideo orta esse videtur, ut exponeretur, quare deae genua flectentes effictae essent. Qui status iis cum Ilithyia communis erat [3]). Idem munus Tarenti Cererem habuisse concludi licet e cognomine Ἐπιλυσαμένη, quod cum Ilithyia ibi commune habebat. Eam Cererem nihil aliud fuisse quam Damiam facile coniectaveris, praesertim cum, ut testatur Hesychius, ferias quae Δάμεια appellabantur ibi celebratas esse constet. Sacra Damiae Tarentum e Laconia translata esse, ut iam antea docti viri suspicati sunt, repertis titulis Laconicis, quos supra attuli, pro certo habendum est.

---

[1]) Le Bas Foucart Peloponn. Inscr. 162 *k*, 286 *b*.

[2]) Cfr Le B. Fouc. l. c. p. 142 (Explications).

[3]) Cfr Paus. VIII: 48, 7.

Neque igitur negari potest Damiam et Auxesiam Cereri eiusque filiae adfines fuisse. Deas arvales, ut Cererem, ita Damiam et Auxesiam fuisse nomina earum prae se ferunt. Feriae in honorem dearum illarum a Troezeniis celebratae, quae Λιθοβόλια appellabantur, cum feriis in honorem Cereris habitis, quibus nomen erat Βαλλητὺς [1]), conferendae sunt. Ac, quod maius est, Δαμία et Δαμοία formas imminutas esse verborum quae sunt Δαμάτηρ, Δαμομάτηρ verisimile est.

Deae quae illis deabus simillimae esse videntur sunt Ἀμαία et Ἀζησία. Illam a Troezeniis cultam esse docet Zenobius, qui testimonium Didymi adfert. Grammatici pro more suo eas easdem esse ac Cererem Proserpinamque contenderunt. Mihi quidem videntur Ἀμαία et Ἀζησία inter numina antiquissima habendae esse, quibus ab initio cum Cerere et Proserpina fortasse nulla fuerit ratio. Quod grammatici contenderunt ea cognomina sola dearum Eleusiniarum esse — id ad libidinem congruentiam aequalitatemque religionum numinumque ubique investigandi referendum censeo [2]). Inter omnes constat Ἀμαίαν idem valere atque eam quae metit i. e. deam, cui messis curae est. De significatione nominis Ἀζησία dissentitur. Alii nomen Ἀζησία a ζητεῖν derivandum esse censentes [3]), hoc e fabula illa repetunt, qua Ceres Proserpinam raptam in-

---

[1]) Athen. IX: 71. Hes. s. v.

[2]) Facere non possum quin afferam, quae praeclare dixit Wilam.-Möllendorff: "Es ist überhaupt falsch, wenn so oft versucht wird eine menge göttlicher personen auf einen namen zurückzuführen z. b. Artemis. man glaubt etwas erreicht zu haben, wenn man die masse von göttern für die älteren zeiten verringert, womöglich auf drei oder zwei oder einen . . . Wollen wir nun in die älteren verhältnisse hinauf, so verringert sich wol die zahl der empfindungen, in denen der menschenseele das göttliche zum bewusstsein kommt, aber die zahl der göttlichen personen durchaus nicht, sie sind einander nur ähnlicher, und der geschichtliche process lässt sie viel häufiger zusammenfallen als er sie differenziirt." (Wilam-Möllend. Isyllos von Epidauros, p. 96 n. 75).

[3]) Cfr Baunack Studien I: 1, 66.

quirens inducitur, alii, ut Hesychius [1]), interpretantur: ἀπὸ τοῦ ἀζαίνειν τοὺς καρποὺς — quae interpretatio mihi quidem magis probatur. Opinor igitur Ἀζησίαν deam esse, quae segetes percoquit, ad maturitatem perducit. Nihil impedit, quominus putemus, homines antiquissimos, qua diligentia tempora ad agriculturam pertinentia servabant, alteri deae incrementum segetum, alteri messem curae esse credidisse. At, dicat quispiam, hoc si conceditur, proverbium illud: ἡ Ἀμαία τὴν Ἀζησίαν μετῆλθεν, quod Suidas ad Cererem Proserpinam inquirentem refert, explicari non potest. Animadvertas velim Suidam, cum ita interpretaretur, pro certo habuisse has deas easdem fuisse atque Cererem Proserpinamque. Quod cur existimemus, nulla est causa. Quin proverbium illud aeque bene in hanc sententiam accipi potest: deam Ἀζησίαν dea Αμαία sequitur i. e. post incrementum atque maturitatem segetum messis, quod proverbium si ita interpretamur, nihil mirabilius praebet quam alia vetusta proverbia simplicibus animis accomodata.

Deas igitur Ἀμαίαν et Ἀζησίαν singularia numina fuisse censeo, quorum origo ad antiquissima tempora referenda sit. Quod posterioribus temporibus illae deae eaedem atque Ceres et Proserpina esse credebantur, non est cur miremur. Tum etiam proverbium illud in Cererem eiusque filiam translatum est.

Cum iis quae iam attuli bene convenit, quod ne veteres quidem satis cognitum habuerunt, ad utram deam, Cererem an Proserpinam, nomen Ἀζησία referendum esset. Zenobius et Suidas Proserpinam [2]), alii [3]) Cererem intellexerunt. Quod puto non futurum fuisse, si Ἀζησία cognomen tantum alterutrius deae fuisset.

Pari ignorantiae tribuendum esse censeo, quod in titulo Epidaurio Damia et Auxesia Ἀζεσίαι vocantur. Is

---

[1]) Hes. s. v.

[2]) Zenob. IV, 20, Suidas v. Ἀζησία.

[3]) Hesych. s. v. Anecd. Bekk. 348 = Soph. Fragm. 309.

qui illum titulum fecit, sine dubio nominis, quod est Ἀζησία, recordatus est, ut ei cum Damia et Auxesia proximam necessitudinem intercedere putaret. Facile adductus est, ut existimaret alterutram illarum dearum eandem esse atque Ἀζησίαν; cum autem nesciret, utri deae id nomen esset tribuendum, ad eam rationem — commodam sane — confugit, ut utramque deam Ἀζησίαν appellaret [1]). Eo modo verbum illud Ἀζεσίων facillime explicari videtur.

Sacra Ἀμαίας ad Troezenios solos non pertinuisse verisimile est. Recte animadvertit Prellwitz [2]) nomina mensium, quae in Phocide, Delphis, Amphissae inveniuntur, cum nomine huius deae componenda esse. Apud Hermionenses nomen Ἀμμία invenitur, quod ipsum quoque ad hanc deam fortasse spectat.

Narrat Pausanias Troezenios contendisse Damiam et Auxesiam e Creta venisse, quam opinionem Welcker recte refellit [3]). At oritur quaestio, quomodo eam opinionem ortam esse existimare oporteat. Quamquam de ea re satis liquere nequit, liceat mihi coniecturam adferre Iam monui inter Troezenios Epidauriosque quandam rerum sacrarum quasi aemulationem intercessisse. Qua re adductos coniecerim Troezenios maluisse illas deas e Creta, qua cum insula memoria Thesei coniuncta erat, venientes sibi fingere, quam confiteri sese eas cum Epidauriis atque Aeginetis communes habere.

MAGNA MATER.

TROEZENE.

Bull. de corr. Hell. 1886 p. 136. . . . Ἀνήνικε Ἀσκλαπιόδωρος Ἀσκλαπι[ά]δα. ἔδοξε τοῖς τ[ε]λεστῆρσ[ι

---

[1]) Cfr Θέμιδες (Paus. II: 31, 5), Castores, Cereres (sacerdos Cererum, Neue Lat. Formenl. I[2]: 393 s.).

[2]) Prellwitz De dial. thessal. p. 24. Cfr Baunack Studien I: 1 p. 66 n. 1.

[3]) Welcker Griech. Götterl. III: 133.

τᾶς μεγάλα]ς Ματρὸς δόμεν τὰν οἰκίαν ἐς τὸν διατειχισμὸν τᾶς πόλιος.

HERMIONAE.

Nummi: Insigne Cybeles (Imh.-Blum. Gardn. Num. Comm. of Paus.: Hermione).

EPIDAURI.

'Εφ. ἀρχ. 1883 p. 151 (46). Μητρὶ θεῶν ἱκέτης κατ' ὄναρ Μελάνωπος ἔτευξεν.

Videmus Matrem Magnam in tribus illis oppidis cultam esse. Troezene cultus eius numinis sodalicio cuidam hominum, qui sacris eius initiati erant, curae fuisse videtur. Quod cum aliis collegiis ad cultum cuiusdam numinis institutis conferendum est, qualia erant Διονυσιασταί, Πανιασταί, 'Αδωνιασταί, 'Ασκληπιασταί, alii. Monere velim Piraeei [1]) quoque collegium fuisse hominum, qui sacris Matris Magnae initiati erant. Quae sacra privata, non publica fuisse ex eo efficitur, quod sacerdos collegii vir erat Heracleotes. Neque aliter cultum Magnae Matris, quem Troezene invenimus, privati homines celebravisse videntur.

ILITHYIA.

HERMIONAE.

Paus. II: 35, 11. Πρὸς δὲ τῇ πύλῃ, καθ' ἣν ὁδὸς εὐθεῖά ἐστιν ἄγουσα ἐπὶ Μάσητα, Εἰλειθυίας ἐστὶν ἐντὸς τοῦ τείχους ἱερόν. ἄλλως μὲν δὴ κατὰ ἡμέραν ἑκάστην καὶ θυσίαις καὶ θυμιάμασι μεγάλως τὴν θεὸν ἱλάσκονται, καὶ ἀναθήματα δίδοται πλεῖστα τῇ Εἰλειθυίᾳ· τὸ δὲ ἄγαλμα οὐδενί, πλὴν εἰ μὴ ἄρα ταῖς ἱερείαις, ἔστιν ἰδεῖν.

Le Bas-Foucart Peloponn. Inscr. 159:d. Αὐρ. 'Αμα-

---

[1]) Cfr Keil, Jahrb. f. Philologie, Suppl. II: 359.

ραντὸς καὶ Ἰουλ. Ἰωτάπη, τὴν ἑαυτῶν θυγατέρα Ἰωτάπην θεᾷ Εἰλειθυίᾳ ἀνέστησαν.

Ilithyia ab Hermionensibus summa religione colebatur. Troezene et Epidauri nullum eius vestigium invenimus — id quod fortasse eo declarari potest, quod in illis oppidis munere eius fungebantur Damia et Auxesia et Diana Ὀρθία.

DIOSCURI.

TROEZENE.

Paus. II: 31, 6. Τοῦ δὲ Ἕρμωνος τούτου καὶ τὰ τῶν Διοσκούρων ξόανά ἐστι.

HERMIONAE.

Paus. II: 34, 10. Ναὸς Ἀθηνᾶς, παρὰ δὲ αὐτῷ σταδίου θεμέλια· ἐν δὲ αὐτῷ τοὺς Τυνδάρεω παῖδας ἀγωνίσασθαι λέγουσιν.

EPIDAURI.

Ἐφ. ἀρχ. 1883 p. 156 (56). Π. Αἴλιος Διονυσίου Ἀντίοχος ἱεραπολήσας Ἀσκληπιῷ καὶ τοῖς ἐν τῷ Ἀνακείῳ θεοῖς.

Ἐφ. ἀρχ. 1885 p. 196 (99). Ἡλ[ίῳ καὶ τ]οῖν Διοσκούροιν Σεκ. Πομ. Ἱλαριανὸς Ἀλκάστου Λακεδαιμόνιος κατ' ὄναρ.

Cultum Dioscurorum in Argolide perantiquum fuisse satis constat, neque igitur mirandum est, quod in tribus illis oppidis ea numina inveniuntur. Quamquam confiteri oportet cultum eorum in aliis oppidis, ut Argis et Lacedaemone, in maiore fuisse honore.

In Argolide Atticaque Dioscuri olim Ἄνακες appellabantur, templa feriaeque eorum ἀνάκεια.

E titulo Epidaurio cernitur in luco Aesculapii ἀνάκειον fuisse. Qui dei ἐν Ἀνακείῳ θεοὶ intellegendi sint, ex altero titulo, quem supra attuli, cognosci licet, ubi Sol cum Dioscuris componitur. Quae numina coniuncta, quan-

tum scio, nusquam alibi inveniuntur [1]). Aesculapius autem ut Epidauri, ita in fabulis Messeniorum [2]) cum Dioscuris consociatus erat, neque aliter Lacedaemone Aesculapius cum Polluce iungitur [3]).

Hermionenses credebant in stadio, quod prope aedem Minervae erat, inter se concertasse Dioscuros. Similes fabulae de illis Lacedaemone ferebantur atque Olympiae, ubi Dioscuri una cum Hercule et Mercurio certaminibus praefuisse credebantur. Lacedaemone in stadio, quod Δρόμος appellabatur, signa Dioscurorum Ἀφετηρίων posita erant. Ut Hermionae illi dei cum Minerva aliquid rationis habuisse videntur, ita fabula obtinebat eos Lacedaemone moderatrice Minerva in armis saltasse [4]).

SOL.

TROEZENE.

Paus. II: 31, 5. Ἡλίου δὲ Ἐλευθερίου καὶ σφόδρα εἰκότι λόγῳ δοκοῦσί μοι ποιῆσαι βωμόν, ἐκφυγόντες δουλείαν ἀπὸ Ξέρξου τε καὶ Περσῶν.

---

[1]) Fortasse C. I. G. 4042.

[2]) Paus. IV: 31, 9—12.

[3]) Paus. III: 14, 7.

[4]) Inscriptionem a Roehlio et Newtone (Anc. Gr. Inscr. in the Brith. Mus. CXXXVIII) publici iuris factam

τοῖ ϝανάκοι ἐμί. Εὔ[δαμος] ἀνέθεκε

ad Iovem spectare putavit Newton, Meister (Fleckeisens Jahrb. 1883: 522) ad Apollinem. Quod eos minus recte iudicasse puto, quoniam ἄναξ, cum ad illos deos refertur, vice nominis proprii non fungitur. Recte mihi videtur interpretari Baunack, qui diversis argumentis nisus monet verba τοῖ ϝανάκοι pro formis genet. dual. habenda esse. Quae cum ita sint, nihil obstat, quominus hoc loco Dioscuros significari putemus. Quod si cui opinio Baunackii minus placet, nihilo magis ad Iovem vel Apollinem confugiendum esse censeo. Narrat enim Plutarchus (Qu. Gr. 23) Argivos, cum crederent Castorem mortuum esse, Pollucem inter deos Olympios numerasse. Facile igitur verba eius tituli — est enim Argivus — τοῖ ϝανάκοι, si ea singulariter accipimus, ad Pollucem deum referenda esse videntur.

HERMIONAE.

Paus. II: 34, 10. Καὶ Ἡλίῳ ναός, καὶ ἄλλος Χάρισιν.

EPIDAURI.

Ἐφ. ἀρχ. 1883 p. 25 (1).

Ζηνὶ καὶ Ἠελίῳ καὶ πᾶσιν ἀειγενέεσσιν ὀλβοδόταις καὶ ἐλευθερίοις καὶ λυσιπόνοισιν ἱεροφάντης εἷς' ὁσίῃ θεοπειθέι γαίων Διογένης, Δηοῦς πρόπολος, Παιήονος ἱρεύς.

Ἐφ. ἀρχ. 1885 p. 196 (99). Ἡλίῳ καὶ τοῖν Διοσκούροιν Σεκ. Πομ. Ἱλαριανὸς Ἀλκάστου Λακεδαιμόνιος κατ' ὄναρ.

A Troezeniis Sol Ἐλευθέριος colebatur, ut ipsi ferebant, quia metu servitutis, quam minati erant Xerxes Persaeque, liberati essent. In comparationem vocari potest Sol Σωτήρ, cuius sacra Megalopoli invenimus. Atque hoc loco monendum est doctissimos viros [1]) iudicare Apollinem, qui cum Neptuno de possessione Calauriae certasse dicitur, re vera neminem alium quam Solem fuisse.

In titulo Epidaurio Iovem et Solem coniunctos invenimus. Inter quos deos etiam alibi tanta necessitudo intercedit, ut in unum coaluisse videantur [2]). In titulo Gerasae (in Syria) invento scriptum videmus: ... Ἀξεῖ Διὶ ἁγίῳ . . . καὶ Ἡλίῳ; etiam in titulis Romanis iunguntur [3]). Cuius societatis origo temporibus Alexandrinis attribuenda esse videtur. Titulum, qui eius, quem supra attuli, similitudinem quandam habet, liceat adferre [4]): Ζηνὶ Παν[ημερίῳ] καὶ Ἡλίῳ Διὶ Σεράπει σωθέντες ἐκ πολέμων μεγάλων καὶ ἀλλοδαποῖο θαλασσῶν κτλ.

In eodem titulo Epidaurio Iuppiter et Sol cum πᾶσιν ἀειγενέεσσιν iunguntur. Similiter in titulo Alexandrino [5]).

Διὶ Ἡλίῳ μεγάλῳ Σαράπιδι τῷ ἐν Κανώβῳ καὶ πᾶσι τοῖς θεοῖς ἀνέθηκεν.

---

[1]) Ut Odofr. Müllerum, Welckerum, Boeckhium (Müll. Aeginet. 27—29. Welcker Gr. Götterl. I: 407).

[2]) Cfr C. I. G. 4042, 4590, 4604, 4713 alibi.

[3]) C. I. G. 4665. Cfr C. I. L. VI: 398, 436, 707.

[4]) Le Bas-Waddington Asie Mineure III: 516.

[5]) C. I. G. 4683.

THEMIS.

TROEZENE.

Paus. II: 31, 5. Ὁ μὲν πρῶτός (βωμός) ἐστιν αὐτῶν Διονύσου κατὰ δή τι μάντευμα ἐπίκλησιν Σαώτου, δεύτερος δὲ Θεμίδων ὀνομαζόμενος· Πιτθεὺς τοῦτον ἀνέθηκεν, ὡς λέγουσιν.

EPIDAURI.

Paus. II: 27, 5. Καὶ Ἀφροδίτης ἱερὸν καὶ Θέμιδος. Themides nisi Troezene nusquam colebantur. Quae deae Themis et Dice vel Praxidice (vel Nemesis) intellegendae esse videntur[1]). Cum Baccho, ut opinabantur Troezenii, iunctae erant. Eandem rationem Baccho cum deabus Themide et Praxidice in loco Migonio prope Gythium sito exstitisse opinor. In monte enim Larysio templum habebat Bacchus, ad cuius radices Themis et Praxidice una cum Venere colebantur[2]).

E verbis Pausaniae conici potest Themidem Veneremque Epidauriorum necessitudine quadam inter se contigisse, quam rationem illorum numinum etiam alibi invenimus, ut Tanagrae, Rhamnunte, Athenis, qua de re supra verba feci. Et quibus coniectura illa, quam modo attuli, placebit, eandem rei rationem in loco Migonio invenient[3]).

VESTA.

HERMIONAE.

Paus. II: 35, 1. Παρελθοῦσι δὲ ἐς τὸ τῆς Ἑστίας ἄγαλμα μέν ἐστιν οὐδέν, βωμὸς δέ, καὶ ἐπ' αὐτοῦ θύουσιν Ἑστίᾳ.

Vestae arae in curiis oppidorum, quae Πρυτανεῖα voca-

---

1) Cfr Πραξιδίκαι (Paus. IX: 33, 3), Ἀζεσίαι, Castores, Cereres.

2) Paus. III: 22, 1, 2.

3) Paus. III: 22, 2 lego: ἄγαλμα Θέμιδος καὶ θεᾶς (θεὰς) Πραξιδίκας. Consociatio enim Thetidis Praxidicesque res nova atque incredibilis est. Contra Themis et Praxidice propinqua cognatione tenentur; accedit quod in MSS. Θέτις et Θέμις saepissime inter se confunduntur.

bantur, positae erant. Templa autem Vestae rarissima sunt; Hermionae tamen Vesta templum habuisse videtur, cum verba τὸ τῆς θεοῦ vix aliter interpretanda sint. Ita rem se Piraeei habuisse cernitur e verbis tituli[1]) ibi inventi: ἐν τῶι ἱερῷ τῆς Ἑστίας. Olympiae testatur Pausanias Vestam οἰκίαν vel οἰκοδόμημα habuisse, quod a Xenophonte ἱερὸν appellatur. (Xen. Hell. VII: 4, 31).

MUSAE ET SOMNUS.

TROEZENE.

Paus. II: 31, 3. Οὐ πόρρω δὲ ἱερὸν Μουσῶν ἐστι . . . Τοῦ Μουσείου δὲ οὐ πόρρω βωμός ἐστιν ἀρχαῖος, Ἀρδάλου καὶ τοῦτον, ὥς φασιν, ἀναθέντος. ἐπὶ δὲ αὐτῷ Μούσαις καὶ Ὕπνῳ θύουσι, λέγοντες τὸν Ὕπνον θεὸν μάλιστα εἶναι φίλον ταῖς Μούσαις.

Musas una cum Somno etiam in statuis effictas videmus[2]). Cui rei convenit, quod apud veteres fabulae ferebant poetas per somnum dona Musarum accepisse, id quod de Hesiodo et Ennio tradit Fronto[3]).

SEMELE.

TROEZENE.

Paus. II: 31, 2. Ἐν τούτῳ δέ εἰσι τῷ ναῷ βωμοὶ θεῶν τῶν λεγομένων ὑπὸ τὴν γῆν ἄρχειν· καί φασιν ἐξ Ἅιδου Σεμέλην τε ὑπὸ Διονύσου κομισθῆναι ταύτῃ.

Narrabant igitur Troezenii Semelen in oppido ipsorum a Baccho ex inferis esse reductam. Quam rem ad stagnum Alcyonium prope Lernam situm factam esse Argiva[4]) fabula traditum erat. De Semela a Baccho Delphis et Cyzici ex inferis reducta supra dictum est.

---

[1]) C. I. A. II: 589.

[2]) Visconti, Museo Pio Clement. I: 28.

[3]) Fronto p. 11.

[4]) Paus. II: 37, 5.

LATONA.

EPIDAURI.

Le Bas-Foucart Peloponnèse Inscriptions 144 *a*. Λατοῦς.

Is titulus in monte Cynortio inter rudera templi Apollinis Μαλεάτου repertus est. Ubi Dianam quoque venerationem habuisse ex altero titulo [1]) cognoscitur. Licet igitur colligi tria illa numina ibi communia sacra habuisse. Latona etiam aliis locis una cum liberis colebatur [2]). In monte Lycone [3]) prope Argos sito sacra eorum inveniuntur, quo loco, ut in Aesculapio Epidauriorum, etiam Diana Ὀρθία colebatur; itemque Tanagrae non solum Latona liberique eius, verum etiam sacra Veneris Themidisque inveniuntur [4]).

ENYO.

EPIDAURI.

Le Bas-Foucart Peloponnèse Inscript. 156 *c*. Ἐνυὼ Ξανθία.

Hic titulus in pago quodam devio, cui nomen Σοφικὸ est, repertus est. Praeter hunc locum tota Argolide cultus Enyus non reperitur. Athenis autem cultus eius deae floruit. In templo Martis signum Enyus positum erat [5]); Erythris Mars Enyoque communem sacerdotem habebant [6]).

GRATIAE.

HERMIONAE.

Paus. II: 34, 10. Καὶ Ἡλίῳ ναὸς, καὶ ἄλλος Χάρισιν.

Templum Gratiarum una cum templo Solis a Pausania

---

[1]) C. I. G. 1173.

[2]) Cfr Preller-Robert Gr. Myth. 233 n. 4.

[3]) Paus. II: 24, 5.

[4]) Paus. IX: 22, 1.

[5]) Paus. I: 8, 4.

[6]) Dittenb. Syll. 370.

commemoratur, ita ut suspicari possis inter ea numina necessitudinem quandam intercedere. Consimile est quod Antimachus Gratias filias esse Solis scripsisse fertur [1]).

Illud templum Gratiarum non longe a stadio Dioscurorum afuisse videtur; similiter Dioscuri et Gratiae Lacedaemone prope Dromum consociantur [2]).

PAN.

TROEZENE.

Paus. II: 32, 6. Κατιόντων δὲ αὐτόθεν Λυτηρίου Πανός ἐστιν ἱερόν· Τροιζηνίων γὰρ τοῖς τὰς ἀρχὰς ἔχουσιν ἔδειξεν ὀνείρατα, ἃ εἶχεν ἄκεσιν λοιμοῦ πιέσαντος * * * Ἀθηναίους δὲ μάλιστα.

Troezene igitur, qua ex arce descendebatur, Pan Λυτήριος templum habebat, neque aliter se rem Athenis habuisse constat. Apud Troezenios Pan Λυτήριος appellabatur, quod iis qui rei publicae praeerant olim per somnum demonstrasset, quomodo pestilentia liberarentur Troezenii. Sed textus Pausaniae hoc loco mendo non caret; atque editores quidem monent inter πιέσαντος et Ἀθηναίους lacunam statuendam esse. Sequuntur verba: διαβὰς δὲ καὶ ἐς τὴν Τροιζηνίαν ναὸν ἴδοις ἂν Ἴσιδος καὶ ὑπὲρ αὐτὸν Ἀφροδίτης Ἀκραίας· τὸν μὲν ἅτε ἐν μητροπόλει τῇ Τροιζῆνι Ἁλικαρνασεῖς ἐποίησαν, τὸ δὲ ἄγαλμα τῆς Ἴσιδος ἀνέθηκε Τροιζηνίων δῆμος. Verba quae sunt διαβὰς ἐς τὴν Τροιζηνίαν cum posterioribus verbis coniuncta omni sensu carere non est cur pluribus verbis demonstrem. "In agrum Troezenium transiisse" de aliquo enuntiari oportet, qui extra fines Troezeniorum erat, id quod non dici potest de eo, qui, id quod sibi fingit Pausanias, in oppido Troezeniorum versatur. At dicat quispiam Siebilisio assentiens: interest inter oppidum et rura; hoc loco ἡ Τροιζηνία idem valet atque rura Troezeniorum. Quae

[1]) Cfr Welcker Gr. Götterl. III: 200. Paus. IX: 35, 5. Cfr Hesych. Αἴγλης Χάριτες· πιθανῶς ἐγενεαλόγησαν τὰς Χάριτας Αἴγλης καὶ Ἡλίου κτλ.

[2]) Paus. III: 14, 6.

opinio nullis subsidiis nititur, nam ἡ Τροιζηνία non de ruribus, sed de toto agro Troezeniorum usurpatur. Sed fac ita non esse: credimusne fieri potuisse, ut populus Halicarnassensium populusque Troezeniorum *extra* muros donaria sua, templum Isidis (vel Veneris) signumque Isidis, ponerent? Minime vero. Praeterea monere velim Pausaniam disertis verbis adfirmare donaria Halicarnassensium ἐν μητρὀπόλει posita fuisse. Textui, qualis nunc exstat, vitium inesse patet, quod vitium in verbis illis διαβὰς ἐς τὴν Τροιζηνίαν positum esse suspicor. Itaque voce διαβὰς in διαβάντος mutata verba illa ad priorem sententiam refero [1]), quo facto hic sensus evadit: pestis Athenienses maxime adflixit, atque inde etiam in agrum Troezenium transcendit. Tum ad templa Isidis Venerisque describenda transit Pausanias, quae, si haec coniectura probabitur, templo Panis propinqua fuisse existimare licebit. Nam a septima demum sectione huius capitis Pausanias incipit rura Troezeniorum describere.

Quare mihi est persuasum templa Panis, Veneris, Isidis una posita esse, qua ab arce Troezeniorum descendebatur. Athenis quoque inter illa numina necessitudinem intercessisse cognovimus e titulo Athenis in ruderibus aedis Veneris Πανδήμου effosso:

Ἑρμοῦ Νυμφῶν Ἴσιδος
Ἀφροδείτης
Πανός

unde facile est conicere inter Athenienses Troezeniosque societatem sacrorum Panis, Veneris, Isidis fuisse. Köhler [2]) contendit sacra Veneris Πανδήμου (vel ἐπὶ Ἱππολύτῳ) Epidauro Athenas esse translata; nam ut in Aesculapio Epidauriorum, ita Athenis monumentum Hippolyti, templa

---

[1]) Lego igitur: ἃ εἶχεν ἄκεσιν λοιμοῦ πιέσαντος . . . Ἀθηναίους δὲ μάλιστα, διαβάντος δὲ καὶ ἐς τὴν Τροιζηνίαν. Sequuntur haec fere verba: Καὶ ναὸν ἴδοις ἂν Ἴσιδος κτλ. Verbo, quod est ἴδοις, aliud fortasse verbum substituere licet, nam probabile est ἴδοις ex Ἴσιδος exstitisse. Praeterea monere velim mihi non propositum esse, ut h. l. textum integrum reddam. Mihi satis erit viam et rationem, qua hic locus sanari possit, demonstrasse.

[2]) Mittheil. d. ath. Inst. II: 176 ss.

Veneris, Themidis, Aesculapii una posita esse. Argumenta vero non minus firma mihi videntur posse adferri, quibus probetur sacra eorum numinum (Themide excepta) Troezene esse advecta. Si consideraverimus Pausaniam cultu Aesculapii domoque Hippolyti commemoratis continuo ad arcem Troezeniorum describendam transire, probabile videbitur templum Aesculapii monumentumque Hippolyti et ipsa (ut templa Panis, Veneris, Isidis) sub radicibus arcis non longe a via, qua ex arce descendebatur, sita fuisse. Quod si probabitur, apparebit ut Athenis ita Troezene sedes sacrorum Aesculapii, Hippolyti, Panis, Veneris, Isidis una sitas fuisse. Nonne igitur facilius est credere Athenienses ea numina cum Troezeniis communia habuisse quam cum Epidauriis? Accedit quod in utraque urbe sub radicibus arcis sacra eorum inveniuntur. Quin etiam ipse fons, Ἡράκλειος κρήνη, cuius mentionem facit Pausanias signo Aesculapii monumentoque Hippolyti commemoratis, illi fonti, qui Athenis prope templa Aesculapii Venerisque erat, respondisse videtur [1]). Sacra igitur illa Troezene, non Epidauro Athenas translata esse videntur [2]).

FORTUNA.

TROEZENE.

Nummi: Fortuna ad aram stans, pateram et cornu copiae tenens (Imh.-Blum. Gardn. Num. Comm. of Paus.: Troiz.).

HERMIONAE.

Paus. II: 35, 3. Τὸ δὲ ἱερὸν τῆς Τύχης νεώτατον μὲν λέγουσιν Ἑρμιονεῖς τῶν παρὰ σφίσιν εἶναι, λίθου δὲ Παρίου κολοσσὸς ἕστηκεν.

---

1) Constat Athenis inter rudera Aesculapii nonnullas inscriptiones, quae Aesculapio et Herculi communiter dedicatae sunt, abhinc paucis annis inventas esse.

2) Huic opinioni assentiri videtur Milchhoefer, cum (Baumeister, Denkmäler d. kl. Alt. 196) scribit: "wenn die Uebertragung von Epidauros (bezw. Troizen) erfolgt ist."

DEI ΕΠΙΔΩΤΑΙ.

EPIDAURI.

Paus. II: 27, 6. Ὁπόσα δὲ Ἀντωνῖνος ἀνὴρ τῆς συγκλήτου βουλῆς ἐφ' ἡμῶν ἐποίησεν, ἔστι μὲν Ἀσκληπιοῦ λουτρόν, ἔστι δὲ ἱερὸν θεῶν οὓς Ἐπιδώτας ὀνομάζουσιν.

Qui dei Ἐπιδῶται intellegendi sint, non satis liquet. Lacedaemone Iuppiter cognomen, quod est Ἐπιδώτης, habebat [1]), id quod etiam Mantineae [2]) invenimus. Sicyone in templo Aesculapii Somnus Ἐπιδώτης signum habuit. Verisimile igitur est in Aesculapio quoque Epidauriorum Somnum inter deos Ἐπιδώτας numerandum esse.

Sed etiam Iuppiter Ἐπιδώτης Mantineae cum Aesculapio coniunctus fuisse videtur; atque hoc quidem loco monere velim Mantineae eadem fere numina venerationem habuisse, quae in luco Aesculapii Epidaurii colebantur. Utroque loco Aesculapius, Iuppiter Ἐπιδώτης (Ἐπιδῶται Epidauri), Dioscuri, Ceres, Proserpinaque religione iunguntur. Adici possunt Latona liberique eius, qui Epidauri prope Aesculapium in monte Cynortio colebantur, Mantineae una cum illis diis venerationem habebant.

ΕΛΕΟΣ.

EPIDAURI.

Ἐφ. ἀρχ. 1883, 150 (43). Ἐλέου βωμὸν Ἱεροκλῆς κατ' ὄναρ.

Aram Ἐλέῳ in foro Atheniensium positam fuisse docent Pausanias, Apollodorus, alii [3]).

ISIS ET SARAPIS.

TROEZENE.

Paus. II: 32, 6. Διαβὰς δὲ καὶ ἐς τὴν Τροιζηνίαν ναὸν ἴδοις ἂν Ἴσιδος καὶ ὑπὲρ αὐτὸν Ἀφροδίτης Ἀκραίας· τὸν μὲν ἅτε ἐν μητροπόλει τῇ Τροιζῆνι Ἁλικαρνασεῖς ἐποίησαν, τὸ δὲ ἄγαλμα τῆς Ἴσιδος ἀνέθηκε Τροιζηνίων δῆμος. [V. supra pag. 73].

---

[1]) Hesych. s. v.

[2]) Paus. VIII: 9, 2.

[3]) Paus. I: 17, 1. Apollod. III: 7, 1, 2.

[Paus. II: 34, 1. (Methanae) Ἴσιδος δὲ ἐνταῦθα ἱερόν ἐστι].

HERMIONAE.

Paus. II: 34, 10. Ὁ δὲ Σαράπιδι (ναὸς) ᾠκοδόμηται καὶ Ἴσιδι.

De societate illa sacrorum Isidis, quam Athenienses cum Troezeniis habuisse videntur, paulo supra disserui. Ad probandum Athenis quoque una cum Venere Isidem venerationem habuisse admodum valet titulus ad theatrum Bacchi repertus [1]): καὶ τὴν Ἀφροδείτην τῇ θεῷ . . . ἀνέθηκεν ἐπισκευάσασα καὶ αὐτὴν τὴν θεὸν καὶ τὰ περὶ αὐτὴν οὖσα καὶ λυχνάπτρια αὐτῆς καὶ ὀνειροκρίτις. Στολίζοντος κτλ.

Templum, cuius mentio in hoc titulo fit, Isidis fuisse Boeckh iam perspexit e nominibus sacerdotum. In quo templo Venerem cum Iside aliquid rationis habuisse ex eodem titulo cognoscimus.

UNIVERSI DEI.

EPIDAURI.

Ἐφ. ἀρχ. 1883 p. 156 (57). Ἱεροκλῆς Ἀφροδεισίου ἱερεὺς τοῦ Σωτῆρος Ἀσκληπιοῦ Πανθείῳ κατ' ὄναρ.

Ἐφ. ἀρχ. 1884 p. 25 (66). Πᾶσι καὶ πάσαις Εὔπορος ἱεραπολήσας τὸ γ' καὶ μ' ἔτος.

Ἐφ. ἀρχ. 1884 p. 26 (68). Βωμὸν Πανθείωι ἱερεὺς ἱδρύσατο Δᾶος.

Cfr Ἐφ. ἀρχ. 1883 p. 25 (1).

Universis diis templa Athenis, Corinthi, Argis [2]) exstructa erant, arae praeter Epidaurum etiam Olympiae. Cum Iove Olympio Olympiae [3]), Athenis cum Minerva et cum Aesculapio Hygieaque [4]) iuncti erant. Syri cum Vesta [5]),

[1]) C. I. A. III: 162.
[2]) Paus. I: 18, 9; II: 2, 8; II: 25, 6.
[3]) Arch. Zeit. 1878: 181.
[4]) C. I. A. II: 481; III: 181, c.
[5]) C. I. G. add. 2347 *k*.

Alexandriae cum Iove, Sole, Sarapide [1]), in Phrygia cum Iove, Neptuno, Minerva universos deos coniunctos videmus [2]).

Ex omnibus locis, qui ad universos deos pertinent, titulus C. I. A. III: 181 *c* et titulus Epidaurius Ἐφ. ἀρχ. 1884 p. 25 inter se maximam similitudinem habent. Tituli Attici haec sunt verba: Ἀσκληπιῷ καὶ Ὑγιείᾳ καὶ τοῖς ἄλλοις θεοῖς πᾶσι καὶ πάσαις κτλ.

Πάντες καὶ πᾶσαι praeter hos duos titulos nusquam inveniuntur. Alia quoque similitudo inter illos titulos fortasse intercedit. Monet Baunack prima Epidaurii tituli verba desiderari, quae ad similitudinem tituli Attici restituenda esse admodum probabile est. Certe Epidauri Universi Dei cum Aesculapio artam societatem habebant, nam omnes titulos, qui ad illos pertinent, a ministris cultus Aesculapii dedicatos esse videmus.

. . . ΝΟΜΙΟΣ.

EPIDAURI.

Ἐφ. ἀρχ. 1884 p. 27 (69) . . . Νομίου Νίκων Διοκλέους πυροφορήσας.

Contendunt editores huius tituli primum vocabulum excidisse restituuntque Ἀπόλλωνος nullum argumentum adferentes, cur id fecerint. Atqui etiam aliis diis cognomen Νόμιος inditum erat, ut Mercurio Panique. Nihilo minus probabile est hoc loco cognomen Νόμιος ad Apollinem pertinere. Fabulabantur Cyrenenses Nomium filium Apollinis esse [3]), unde colligere licet Apollinem ibi Νόμιον appellatum esse. Pausaniae [4]) autem si fides habenda est, Cyrenenses cum Epidauriis sacra Aesculapii communia habebant. Quae cum ita sint, videtur Aesculapius Epidauriorum cum Apolline potius quam cum alio deo eiusdem cognominis componendus esse.

---

1) C. I. G. 4683.

2) Bull. de corr. Hell. 1879: 479. Cfr Maurer De aris Graecorum p. 94, 95.

3) Pind. Pyth. IX: 115. Dion. Sic. IV: 81.

4) Paus. II: 26, 9.

DEI INFERI.

TROEZENE.

Paus. II: 31, 2. Ἐν τούτῳ δέ εἰσι τῷ ναῷ βωμοὶ θεῶν τῶν λεγομένων ὑπὸ γῆν ἄρχειν.

HERMIONAE.

Paus. II: 35, 10. Τὸ μὲν Κλυμένου, τὸ δὲ Πλούτωνος, τὸ τρίτον δὲ αὐτῶν λίμνην Ἀχερουσίαν.

Atque hoc quidem loco subsistere poteram, nisi mihi proposuissem, ut ad extremum de heroibus ad tria illa oppida pertinentibus pauca dissererem. Neque tamen desideraveris, ut omnes fabulas, quae de heroibus ibi ferebantur, intentiore cura pertractem — rem sane difficilem maioremque quam pro meis viribus. Mihi satis erit ea, quae in illis fabulis maxime memorabilia videntur, adnotasse. Ac primum quidem, ne iam tractata retractem, legentes, si qui Epidauriorum fabulas cognoscere velint, ad libellum Wilamowitz-Möllendorfii delego.

De heroibus Hermionensium non multa cognita habemus, in fabulis autem Troezeniorum complures heroes invenimus. Quorum nonnullos nomine tantum novimus. Eo referendi sunt reges antiquissimi Troezeniorum, velut Orus, Althepus, Hyperes, Anthes, Aëtius, Troezen. De *Pittheo* ipso perpauca nobis comperta sunt, praeterquam quod is templa nonnulla condidisse dicebatur. Post templum Dianae Σωτείρας monumentum erat Pitthei, ubi in soliis tribus Pittheus una cum duobus viris ius dicere credebatur. Quam fabulam Troezenios a Cretensibus mutuo accepisse, verisimile est; nam Pittheum eiusque socios eosdem esse atque Rhadamanthum eosque, qui una cum eo apud inferos ius dicere ferebantur, iam supra monui. Quod si probabitur, necesse erit iudicemus eam fabulam recentiore demum aetate Troezena translatam esse, cum fabula, quae Rhadamanthum eiusque collegas apud inferos iudicantes facit, ad tempora antiquissima referenda esse non

videatur [1]). — Neque aliter fabula *Saronis* e Creta originem repetere videtur. Ut iam animadverti, Saron qui cervam persequitur, Minoi simillimus est, quem fabula Cretica narrat Dianam acerrime persecutum esse.

Fabulam *Orestis* etiam apud Troezenios invenimus. Ante templum Apollinis aedificium erat, quod tabernaculum Orestis appellabatur. Fabulabantur Troezenii, antequam caedes matris expiata esset, neminem Oresten hospitio excipere ausum esse, eumque in illo tabernaculo versatum esse, quoad rite expiatus esset. Defossis victimis non longe a tabernaculo laurum enatam esse, quae Pausaniae temporibus viruisse dicitur. Ita fere fabulam Orestis a Troezeniis celebratam refert Pausanias. Quae fabula cum fabulis Delphorum Atticorumque ita consentit, ut Orestes auspiciis Apollinis expiatus esse videatur.

Alia quoque re utraque fabula consentit, quod caedes matris utrobique a collegio quodam magistratuum expiata esse credebatur. Suspicor enim novem illos viros, quos commemorat Pausanias, collegium magistratuum fuisse, quod cum archontibus Atheniensium quodammodo conferendum sit. Addere velim nihil obstare, quominus ea quae Pausanias scripsit: καὶ νῦν ἔτι οἱ ἀπόγονοι τῶν καθηράντων ἐνταῦθα δειπνοῦσιν ἐν ἡμέραις ῥηταῖς ad vetustum privilegium publice cenandi referantur. Alio loco narrat Pausanias (II: 31, 4) ante aedem Dianae Λυκείας lapidem esse, ubi novem viri Troezenii Oresten purgaverint. Quaeritur, quomodo haec fabula cum illis conveniat.

Fabula admodum vetus a Peloponnesiis, praesertim ab Arcadibus celebrata, ferebat Oresten Oresthei in oppido Arcadiae a Furiis vindicatum esse in aede Dianae Ἱερείας [2]). Fabula igitur Troezenia, qua Orestes ante templum Dianae purgatus esse ferebatur, cum fabula Arcadia congruere videtur. Verisimile est eam fabulam Troezene vetustiorem esse quam alteram illam, qua Orestes ante templum Apollinis purgatus esse dicebatur. Cuius fabulae originem ad

---

[1]) Cfr Preller-Plew Gr. Myth. II: 130.

[2]) Cfr Robert Bild und Lied p. 181.

ea tempora referendam esse censeo, quibus oraculum Delphicum maiorem auctoritatem consecutum erat. Cui opinioni convenit, quod Apollo ille, ante cuius sedem scelus Orestis expiatum esse narrabatur, Θεάριος appellabatur, quem deum Delphis oriundum esse iam supra monui.

Diomedem quoque Troezene invenimus. Neque tamen multa vestigia reliquisse videtur. In luco Hippolyti templum erat Apollinis Ἐπιβατηρίου, quod fabula ferebat Diomedem dedicasse, cum tempestatem effugisset, quae Troia revertentibus Graecis coorta esset. Idem ludos Pythios in honorem Apollinis instituisse dicitur. Diomedes etiam Hippolyto templum exstruxisse eique primus omnium sacra fecisse narrabatur.

Fabula Diomedis ab Argivis praecipue celebrabatur, neque est dubium, quin Troezenii eam ab Argivis acceperint. Ludos Pythios a Diomede institutos esse Troezenii narrabant, quos cum cultu Apollinis Pythii vel Pythaei coniunctos esse inter omnes constat [1]). Sacra vero Apollinis Pythaei Argivis praecipue curae erant, Argis sedes vetustissima Apollinis Pythaei exstabat, cui alia sacra Argolica eidem deo instituta subiecta fuisse videntur. Argis quoque illi deo cum Diomede ratio intercessisse videtur. Apollinis Δειραδιώτου templo, quod Pythaeus dedicasse ferebatur, vicinum erat templum, quod Minervae Ὀξυδέρκει dicaverat Diomedes. Quae necessitudo inter Hippolytum Diomedemque intercesserit, non liquet [2]).

Fabulam *Thesei* Troezene Athenas translatam esse, verisimillimum est [3]). Neque tamen continuo credideris omnes partes ad eam fabulam pertinentes Troezene fictas esse, sed potius anquirendum est, quae partes fabulae Theseae Troezene, quae Athenis oriundae sint. Quod subtilioribus quaestionibus reservandum esse censeo. Hoc

---

[1]) Cfr Busolt Griech. Gesch. I: 74. Thuc. V: 53. Le Bas Inscr. rec. à Argos, 8.

[2]) Cfr O. Müller Kl. Deutsch. Schr. II: 170.

[3]) Cfr Wilamowitz-Möllendorff Aus Kydathen 101.

loco sufficiat de ea re pauca monere. Fabulam, quae de Helena a Theseo rapta narratur, in Peloponneso ortam esse probabile est. Quod ut comprobetur, monet Robert[1]) Aphidnas oppidum Attici illius nomen referens in Laconia situm esse, id quod testatur Steph. Byz. Sine dubio illa fabula inter antiquissimas Peloponnesi habenda est, unde in colonias Graecorum in ora Asiae conditas translata cum alia quadam fabula ita conflata esse videtur, ut inde fabula illa de Helena a Paride rapta orta sit. Atque Helenam a Theseo raptam esse Troezenii narrabant. Ad viam, quae Hermionam Troezene ducebat, Theseus Veneri Νυμφίᾳ templum dedicasse narrabatur, cum Helenam in matrimonium duxisset.

Alia fabula Thesea, quae vetustissima esse videtur, est de expeditione Thesei in Cretam facta. Narrabant Troezenii Theseum Dianae Σωτείρᾳ templum dedicasse, cum interempto Asterione, Minois filio, e Creta rediisset. Memorabile esse videtur in fabulis Troezeniorum ad Thesea spectantibus nullam Ariadnae factam esse mentionem.

Fabula, quae est de Antiopa a Theseo rapta, in Graecia longe lateque vagata est atque in Attica praecipue celebrabatur[2]). Ubi de rebus Atticis agit Pausanias, fabulam Antiopae adfert, quae ad Troezenem spectare videtur, nam Hegiam Troezenium auctorem nominat, neque est dubium, quin Hegias fabulam Troezeniam retulerit. Is tradit Themiscyram oppidum Herculem, cum oppugnaret, non prius cepisse, quam Antiopa Thesei amore capta (bellandi enim socium Herculi fuisse Theseum) oppidum illud tradidisset. Quaeritur, quae ratio intercesserit inter fabulam Troezeniam Atticamque.

Attica fabula varie narrabatur. Testatur Plutarchus Philochorum scripsisse Theseum una cum Hercule adversus Amazonas bellum gessisse Antiopamque praedam cepisse. Alii, ut Pherecydes, Hellanicus, Herodorus, id quod testa-

---

[1]) Wilam.-Möllend. l. c.

[2]) Paus. I: 2, 1.

tur Plutarchus, tradiderunt Theseum nullo socio id bellum gessisse. Cum non sit dubium, quin illis scriptoribus omnibus fabulae Atticae praesto fuerint, quaeritur, quomodo haec dissensio orta sit. Atque equidem crediderim in antiquiore fabulae forma Herculis nullas partes fuisse eumque posteriore demum aetate ut socium Thesei illatum esse. Cum fabula ita immutata Atticorum fabula Troezenia convenire videtur. Unde facile suspiceris fabulam Antiopae Athenis Troezenem translatam esse, idque recentiore tempore; nam fabulam, quae narrat Herculem socium Thesei fuisse, a Troezeniis fictam esse iudicare vetamur eo, quod Hercules apud Troezenios haud ita multum valuisse videtur, cum Athenis cum Theseo insignem in modum iungatur [1]).

Aliae fabulae Troezeniae ad Theseum pertinentes in primo libro a Pausania proferuntur [2]). Cum Hercules Troezenem ad Pittheum venisset leonisque pellem deposuisset, ceteros pueros Troezeniorum perterritos aufugisse, Theseum autem septimum fere annum agentem, nihil metuisse, sed arrepta bipenni in pellem leonis irruisse. Quae fabula et ipsa posteriori aetati tribuenda est, cum doctrinam Alexandrinorum redoleat. Hercules cum Theseo coniunctus ad Atticam spectare videtur.

Sequitur altera fabula Troezenia, notissima illa quidem, qua narratur Theseus cum ad sextum decimum annum pervenisset, amoto saxo, ensem crepidasque, quas Aegeus deposuerat, sustulisse. Quae fabula et ipsa, qualis a Pausania narratur, a temporibus haud ita remotis originem ducere videtur. Cui rei convenit, quod saxum, quod Troezenii ferebant Theseum amovisse, olim ara Iovis Σθενίου, postea saxum Thesei appellatum esse dicebatur. Haud scio an ea fabula ficta sit, ut societas fabulae Thesei, quam Athenienses cum Troezeniis habebant, declararetur. Quae

---

1) Cfr Plut. Thes. 35 = Philoch. fr. 45 de Theseis in Heraclea mutatis.

2) Paus. I: 27, 7, 8.

fabula Athenis in arce opere aeneo expressa erat. Simile signum Troezene quoque fuisse verisimile est, cum plerique nummi diversis temporibus signati eiusmodi notam habeant.

Omnium fabularum Troezeniarum nobilissima fabula *Hippolyti* erat. Sacra quoque eius a Troezeniis eximie celebrabantur. Insigni pulchritudine erat templum eius, quod Diomedem dedicasse fama erat. Sacerdos Hippolyti eo munere per omne vitae tempus fungebatur. Mos erat, ut virgines ante nuptias capillum succisum in templo Hiplyti consecrarent.

Facere non possum, quin Kalkmanno assentiar, qui Hippolytum pro deo a Troezeniis habitum esse contendit[1]). Neque enim aliam causam video, cur Troezenii negaverint eum ab equis distractum esse locumque, quo sepultus esset, demonstrare noluerint. Accedit quod ναὸν Hippolyto dicatum esse testatur Pausanias, cuius generis templa deos habuisse constat. Quod si quis contra hanc opinionem adferat, Menelaum[2]) in Laconia ναὸν habuisse, monere velim Menelaum a Lacedaemoniis inter deos habitum esse, ut auctor est Isocrates[3]). Neque tamen video, cur Kalkmann dixerit deum Hippolytum vetustiorem fuisse quam heroa. Quod si probabitur, explicari non poterit, quomodo altera illa de heroe Hippolyto fabula exorta sit. Neque video, cur Hippolytus ex heroe deus fieri non potuerit, cum id Diomedi, Menelao, Aeneae, aliis contigisse videamus. Immo iudicare oportet Hippolytum olim heroa fuisse, procedente vero tempore a Troezeniis deum factum esse. Quo concesso patet, cur curae fuerit Troezeniis monumentum eius non demonstrare contendereque Hippolytum in siderum numerum relatum eum esse, qui Auriga vocaretur[4]).

---

[1]) Kalkmann Paus. der Perieget 144, n. 3.

[2]) Paus. III: 19, 9.

[3]) Isocr. Laud. Hel. 62.

[4]) Paus. II: 32, 1.

Fabulam Hippolyti apud Troezenios celebratam in hunc fere modum adfert Pausanias: Theseum, cum Phaedram in matrimonium ducturus esset, veritum, ne, si ei liberi fuissent, aut ipsi Hippolyto aut illis Hippolytus imperaret, Hippolytum Troezenem ad Pittheum misisse, ut ibi educatus Pittheo mortuo regnum capesseret. Deinde Theseum, cum Pallantem filiosque eius res novas molientes occidisset, Troezenem, ut caedes expiaretur, venisse. Ibi Phaedram, cum tum primum Hippolytum vidisset, adolescentis amore insanientem mortis sibi consciscendae consilium iniisse.

Recte monet Kalkmann hanc fabulam e tragoedia Euripidis, quae Hippolytus inscribitur, pendere, quod caedes Pallantis filiorumque causa fuisse dicitur, cur Theseus Troezenem se conferret. Auctoritati Euripidis quoque tribuenda esse censeo, quae de oliva intorta scribit Pausanias: intortam enim eo appellari, quod ad eius arboris truncum implicatis habenis subversum esse currum Hippolyti Troezenii traderent. Patet eum locum ad interitum Hippolyti ab equis distracti spectare, quam fabulam Troezenios dissimulasse alio loco Pausanias docet [1]). Quae repugnantia declarari non potest, nisi putamus fabulam, qua Hippolytus equis consternatis interemptus esse ferebatur, Troezeniis extrinsecus allatam et quasi obstrusam esse. Cuius rei causam fuisse puto fabulam Euripidis, quae quam vehementer animos Graecorum moverit, inter omnes constat.

Videmus igitur fabulam Troezeniam, qualem nobis reddit Pausanias, maiore ex parte auctoritatem Euripidis sequi. Quomodo fabula Hippolyti ante tempora Euripidis a Troezeniis celebrata sit, quaque ratione fabulam a Troezeniis receptam mutaverit Euripides, difficile est iudicare [2]).

---

[1]) l. c.

[2]) Theseo cum Hippolyto ante tempora Euripidis nullam fuisse rationem verisimile est.

Pauca vestigia fabulae Hippolyti apud scriptores, qui ante Euripidem fuerunt, invenimus. Apollodorus scribit: Ἱππόλυτον (ἀνέστησεν ὁ Ἀσκληπιός), ὡς ὁ τὰ Ναυπακτικὰ συγγράψας λέγει [1]). Pindarus fabulam Hippolyti, qualis ab Euripide narratur, non videtur compertam habuisse, id quod ex his Plutarchi verbis [2]) perspicitur: Τῆς δὲ Ἀντιόπης ἀποθανούσης ἔγημε Φαίδραν, ἔχων υἱὸν Ἱππόλυτον ἐξ Ἀντιόπης, ὡς δὲ Πίνδαρός φησι, Δημοφῶντα.

Pindarus igitur filium Thesei nomine Hippolytum ignorasse videtur.

Omnia, quae post Euripidem de illa fabula vel scripta vel picta vel sculpta sunt, e tragoedia Euripidea pendent. Quamquam autem antiquam et germanam Troezeniorum fabulam non cognovimus, tamen credo nobis licere extrema eius tamquam lineamenta adumbrare. Re vera agitur de iuvene, de quo duae deae, Venus et Diana, certant, ita ut interitus eius ea re efficiatur. Quam fabulam eandem esse atque fabulam Adonidis patet. De Adonide certant Venus et Diana vel Venus et Proserpina, et sicut Hippolytus, in ipso flore aetatis moritur Adonis. Nihil igitur obstat, quominus putemus illam fabulam Troezenem translatam esse. Ibi novae personae prodeunt, Neptunus et Phaedra [3]). Quod Neptunus fabulae insertus est, non mirandum est, si reputamus, quanto in honore is deus apud Troezenios fuerit. Phaedra e Creta oriunda esse videtur, qua in insula, ut alibi, Venus in heroides mutari solebat. Videtur enim, ut Ariadne et Pasiphaë, ita Phaedra re vera eadem fuisse atque Venus. Ita fere fabula Hippolyti exstitisse videtur, quam magis magisque in dies amplificatam et exornatam esse verisimile est.

---

[1]) Apollod. III: 10, 3, 10.

[2]) Plut. Thes. 28.

[3]) Num Theseus fabulae Troezeniae interfuerit, dubitari potest. In fabula Euripidis is id unum agere videtur, ut commercium, quod cum Troezeniis habuerunt Athenienses, repraesentet. Facile et sine detrimento fabulae Theseum segregare possumus.

Haud scio an Phaedra cum Smyrna vel Myrrha, matre Adonidis, quodammodo conferri possit. Utraque illicito amore flagrabat, utraque cum arboribus coniungitur, haec cum myrrha, illa cum myrto. Erat Troezene myrtus, cuius folia perterebrata erant[1]), quae ferebatur Phaedra amore insaniens acu crinali transfixisse. Smyrna vel Myrrha in myrrham mutata esse dicebatur. Fieri potest, ut verba σμύρνα, μύρρα cum μυρσίνη inter se confusa sint. Accedit quod fabula, qua Smyrna in myrrham mutata esse ferebatur, Halicarnassi in colonia Troezeniorum celebrabatur. Testatur enim Apollodorus Panyasim Halicarnassensem de ea fabula scripsisse[2]).

Epidauri[3]) in luco Aesculapii erat vetus pila, in qua erat incisum dicasse Aesculapio Hippolytum viginti equos. Non est dubium, quin id fecerit Hippolytus eo commotus, quod ope Aesculapii in vitam revocatus esset. Quod ipsum testantur verba Pausaniae quae sequuntur. Scribit enim inscriptioni eius pilae consentanea narrare Aricinos, Aesculapium Hippolytum ex inferis excitasse. Ac fortasse coniectura assequi possumus, quam ob rem Epidaurii talia commenti sint. Iam monui inter Epidaurios et Troezenios, quod ad sacra eorum pertinebat, fuisse quasi quandam aemulationem. Epidaurii Aesculapium Troezeniorum despectui habebant, Troezenii contendebant signum Aesculapii non illum deum, sed Hippolytum repraesentare. Eandem credo causam fuisse, cur de Hippolyto ab Aesculapio in vitam revocato verba facerent Epidaurii. Iidem fabulam, qua Hippolytus ab equis distractus interiisse ferebatur, cognitam habebant. Ut supra monui, Hippolytus Troezene procedente tempore deus factus esse videtur, id quod Epidaurii dissimulare non poterant. Tum in promptu erat Epidauriis fingere Hippolytum, qui mortuus esset, ope Aesculapii e mortuis excitatum esse[4]), quo effectum est, ut cum duae illae fabulae

---

[1]) P. I: 22, 2. II: 32, 3.

[2]) Appollod. III: 14, 4.

[3]) Paus. II: 27, 4.

[4]) Cfr Pollux et Aesculapius Lacedaemonii Paus. III: 14, 7.

Troezeniae inter se confunderentur, tum gloria Aesculapii augeretur.

Fabulae *Bellerophontis* nonnulla vestigia Troezene et Epidauri inveniuntur. In solio Aesculapii Epidaurii [1]) Bellerophon chimaeram interimens (sicut Perseus Medusae caput abscisum tenens) caelatus erat. Qui quidem heroes saepe componuntur [2]). Fabulae eorum Epidaurum Argis [3]) translatae esse videntur. Troezene erat fons Hippocrene cognominatus, de quo consentanea Boeotis narrabant Troezenii: eum fontem Pegasi ungula solo effosso e terra manasse. Fabula Pegasi apud Troezenios nonnihil celebrata esse videtur. Nummi antiquissimi Halicarnassensium signum Pegasi habent, neque a specie veritatis abhorret eam fabulam Troezene in coloniam Halicarnassum transmigrasse. Fabula Bellerophontis fabulae Hippolyti simillima est. Ut de Hippolyto, ita de Bellerophonte duae deae certant, Venus et Diana. Ut Troezene in luco Hippolyti [4]) fanum erat Veneris Κατασκοπίας, ita Corinthi in luco Bellerophontis Venus Μελαινὶς templum habebat [5]). Uterque porro cum Diana iungitur: Troezene Hippolytus Dianae Λυκείᾳ templum dicasse ferebatur [6]), Corinthi signa Dianae et Bellerophontis una posita erant [7]). Uterque feminae ad stuprum illicienti restitit, utrique femina amore incensa mortem paravit.

Apud Pausaniam scriptum videmus, Bellerophontem Troezenem venisse, ut sibi Aethram a Pittheo posceret. Verisimile est eam fabulam a Troezeniis antiquitus celebratam deinde fabula Corinthia aliisque obscuratam esse. Quae enim addit Pausanias, Bellerophontem ante nuptias Corintho in exilium missum esse — ea ideo ficta esse

---

[1]) Paus. II: 27, 2.

[2]) Cfr Preller-Plew Gr. Myth. II: 76.

[3]) Cfr verba Pausaniae (l. c.): τῷ θρόνῳ δὲ ἡρώων ἐπειργασμένα Ἀργείων ἐστὶν ἔργα.

[4]) Paus. II: 32, 3.

[5]) Paus. II: 2, 4.

[6]) Paus. II: 31, 4.

[7]) Paus. II: 3, 5.

videntur, ut fabula Troezenia cum ea fabula, quae vulgo narrabatur, componi et conflari posset. Verisimile est Troezene Bellerophonti cum Aethra eandem rationem intercessisse atque inter Hippolytum Phaedramque; ut Bellerophon et Hippolytus re vera iidem fuisse videntur, ita nomina, quae sunt Aethra, Phaedra, Pasiphaë, ad eandem personam revocari possunt.

Herculem et Troezene et Hermionae invenimus. Troezene fons erat Herculeus cognominatus, quod eum Hercules invenisse dicebatur. Itemque Troezene Hercules ad signum Mercurii Πολυγίου clavam deposuisse ferebatur.

Hercules cum calidis praesertim fontibus iungitur, ut ad Thermopylas[1]), in Elide apud Macistios[2]), alibi. Verisimile est Methanae cultum Herculis cum fontibus calidis cohaerere, qui ibi erant. Quae cum ita sint, nihil impedit, quominus putemus Herculem fontium inventorem Methana Troezenem translatum esse[3]).

In utroque oppido narrabatur Hercules Cerberum ex inferis eduxisse. Quod quidem non est mirandum, nam ut ex operibus Herculis id difficillimum habitum est, ita ea fabula notissima omnium fuisse videtur et multis aliis locis tradebatur, ut in Laconia ad Taenarum, in Boeotia prope montem Laphystium, Heracleae Ponticae.

Rectissime animadvertit Odofr. Müller[4]) fabulas, quibus Hercules praeclaras res bello gessisse vel bestias oppressisse fingitur, ad res a gente Dorum gestas spectare, cum iis re vera tradatur, quomodo Dores diversos populos Graeciae subegerint vetustasque religiones subverterint. E quibus fabulis unam pariter apud Troezenios Hermionensesque invenimus. Neque tamen ideo putandum est eam fabulam ad bella inter Dores et Troezenios Hermionensesque gesta spectare. Hermionenses quidem eam fabulam

---

1) Herod. VII: 176.

2) Curtius Pelop. II: 83.

3) Troezene, sicut Athenis, Aesculapius cum Hercule iungitur.

4) Müller Dorier passim.

iam, antequam Hermionam condiderunt, habuisse verisimile est, nam Hermionae Hercules cum Clymeno iungitur[1]).

Ut docet idem Odofr. Müller, fabula Cerberi ab Hercule ex inferis abducti e bellis a Doribus cum Aetolica gente gestis exorta erat. In fabulis Aetolorum celebre erat nomen Clymeni, qui deus a Plutone non diversus fuisse videtur. Clymenum cum Aetolis communem habuerunt Dryopes. Verisimile est aut Dryopes illam de Hercule fabulam ab Aetolis accepisse, aut eam e bellis inter Dryopes Doresque, cum in pristinis sedibus habitarent, gestis originem traxisse. Eam igitur fabulam Hermionam attulisse Dryopes videntur. Confirmatur opinio mea eo, quod in aliis oppidis Dryopum, ut Carysti, sacra Herculis inveniuntur[2]).

Quomodo eadem fabula apud Troezenios exorta sit, non satis cognovimus. Eam autem Troezenios aliunde accepisse eo perspicitur, quod cultus inferorum deorum Troezene haud ita multum valuisse videtur. Certe ad bella inter Troezenios Doresque gesta ea fabula non spectat.

Pauca igitur vestigia Herculis Troezene et Hermionae reperiuntur, et quae ibi de Hercule narrabantur, maiore ex parte aliunde petita esse videntur. Unde colligere licet religiones Dorias in illis oppidis non ita magni fuisse momenti incolasque eorum imperio Dorum non ita subiectos fuisse, ut alias civitates Peloponnesi — id quod etiam aliis testimoniis confirmatur.

Ad ultimum liceat mihi monere, quibus civitatibus vel regionibus cum incolis trium illorum oppidorum, de quibus agitur, interior quaedam societas religionum intercessisse videatur. Licet enim illis oppidis cum permultis regionibus singula sacra communia fuerint, tamen credo ad id, quod proposui, aptius esse eos locos enumerare, quibus cum Troezeniis, Hermionensibus, Epidauriis complura sacra vel

[1]) Paus. II: 35, 10.

[2]) Berl. Münzkabz. 164, 165. Mionnet II: 302 ss. Suppl. IV: 355.

numina minus pervulgata vel numina insignem in modum coniuncta communia fuerint.

ATTICA (ATHENAE).

Iuppiter Σωτήρ, deus pluvius Deest cultus Iunonis Neptunus Φυτάλμιος Neptunus cum Minerva consociatus Minerva 'Απατουρία (= Φρατρία) Pan, Aesculapius, Hercules, Hippolytus, Isis Venusque Fabulae Thesei et Hippolyti et Orestis Ceres Θεσμοφόρος (Athenis et Halimunte) Universi dei. Mars	TROEZEN.
Mars cum diis inferis coniunctus Mars 'Ενυάλιος Bacchus Μελάναιγις Fabula de Baccho et praedonibus	HERMIONA.
Iuppiter Φίλιος Diana 'Εκάτη Aesculapius, Hygiea, liberi Aesculapii ῎Ελεος. Enyo Minerva cum Baccho coniuncta?	EPIDAURUS.

LACONIA.

Iuppiter Γενέθλιος? Neptunus Γεραίστιος? Diana Οὖπις Venus Νυμφία (dea nuptialis?) Venus cum Iove coniuncta Bacchus cum Themidibus (Themide et Praxidice) coniunctus Ceres Θεσμοφόρος Damia et Auxesia Hippolytus. Theseus et Helena.	TROEZEN.

Neptunus et Diana Minerva et Dioscuri Gratiae et Dioscuri Mars 'Ενυάλιος Venus dea nuptialis Ceres, Proserpina, Pluto Ceres Χθονία	HERMIONA.
Diana 'Ορθία Venus et Themis Aesculapius et Dioscuri	EPIDAURUS.

CRETA.

Diana Σαρωνίς (= Britomartis) Diana Οὖπις. Fabula Saronis Fabula Pitthei Phaedra?	TROEZEN.

THESSALIA.

Apollo Μαλεάτης „ Ὑπαταῖος Aesculapius Παυταλεώτης	EPIDAURUS.

BOEOTIA.

Iuno Τελεία Ceres Χθονία? Iuppiter 'Ασκληπιός (= Τροφώνιος)	HERMIONA.

(TANAGRA).

Venus cum Themide, Latona liberisque eius coniuncta	EPIDAURUS.

ARCADIA.

Fabula Orestis (MEGALOPOLIS). Diana Σώτειρα et Iuppiter Σωτήρ Sol Σωτήρ (= 'Ελευθέριος)	TROEZEN.
Iuno Τελεία	HERMIONA.
Iuppiter Φίλιος (TEGEA). Ceres et Proserpina Καρποφόροι (MANTINEA). Iuppiter 'Επιδώτης ['Επιδῶται Epidaur.], Dioscuri, Ceres, Proserpina, Latona liberique eius	EPIDAURUS.

LERNA.

Fabula de Baccho et Semela Bacchus Σαώτης Neptunus Γενέσιος?	TROEZEN.

Videmus igitur cum his locis regionibusque interiorem societatem religionum tribus illis civitatibus intercessisse, ante omnes, quod quidem ad Troezenios Hermionensesque attinet, cum Attica et Laconia. Memorabile illud commercium, quod inter Troezenios Lacedaemoniosque exstabat, esse videtur. Quod commercium temporibus, quae ante dominationem Dorum erant, assignandum esse ex eo efficitur, quod sacra illa, quae communia erant, utrobique speciem vetustissimae originis praebent et quod cultus Herculis, qui Dorum proprius erat, apud Troezenios (vicinosque eorum) tam pauca vestigia reliquit.



Addenda et corrigenda.

P. 3 l. 6: pro οὓχ lege οὐχ.
„ 5 n. 1: lege C. I. A. II: 325, 326, III: 281.
„ 9 l. 30: lege Ποσειδῶν.
„ 10 l. 28: lege non.
„ 19 sub Troezene: adde Schol. Il. XXIII: 346. ἐν τῷ τοῦ Παγασαίου Ἀπόλλωνος ἱερῷ, ὅ ἐστι πρὸς Τροιζῆνι.
„ 22 n. 1: pro 78 lege 70.
„ 26 sub Epidauri: adde Le Bas-Foucart Pelop. Inscr. 147:a: Ἀρτέμιδι Ἐνοδίᾳ.
„ 29 n. 3: pro Megarae lege Eleusine.
„ 35 n. 4: lege 682.
„ 38 ll. 7, 8 ad Hermionam referuntur.
„ 39 l. 10: lege Ἐνοιαλίου.
„ 45 l. 25: lege Χωρίον.
„ 47 n. 1: pro Eur. Phoen. 681 lege Paus. IX: 16, 5.
„ 57 n. 1: pro XXXXIV lege XXXXV.
„ 57 nn. 2 et 3 inter se transponuntur.
„ 60 l. 26: lege Chthonia.
„ 64 n. 3: pro 309 lege 809.
„ 67 ll. 17, 18: lege Ἀντίοχος.

Inconstantiae scribendi, quae legentibus forte occurrent, peto ut mihi benigne condonentur.



